



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



LÉGUÉ  
à la Bibliothèque de la Ville de Lyon  
PAR LE COMTE  
SÉBASTIEN-GAËTAN-SALVADOR-MAXIME  
DES GUIDI

né à Caserte (Italie), le 5 Août 1769  
mort à Lyon, le 27 Mai 1863









380732

S E L E C T A

P O E M A T A  
I T A L O R U M

Q U I L A T I N E S C R I P S E R U N T.

Curâ cujusdam Anonymi Anno 1684  
congesta, iterum in lucem data, unâ  
cum aliorum Italorum operibus,  
Accurante A. POPE.



V O L . I .

L O N D I N I :

Impensis J. & P. K N A P T O N .

M D C C X L .



# P O E M A T A

Quæ in Tomo Primo continentur.

## P A R S I.

### E C L O G Æ.

#### ACTII SYNCERI SANNAZARII.

<b>P</b> HYLLIS,	Pag. 1
<i>Galatea,</i>	5
<i>Mopsus,</i>	8
Proteus,	12
Herpylis Pharmaceutria,	15
Salices. Appendix.	19

#### JOH. BAPT. AMALTHEI.

<i>Lycidas,</i>	23
<i>Acon,</i>	26
<i>Corydon,</i>	29
<i>Sarnus,</i>	32
<i>Silis,</i>	34

#### M. HIERONYMI VIDÆ.

<i>Daphnis,</i>	38
<i>Corydon,</i>	41
<i>Nice,</i>	44

# CATAL. POEMATUM.

## P A R S II.

### HIERONYMI FRACASTORII.

<i>SYPHILIS</i> , sive <i>Morbus Gallicus</i> ,	53
<i>ALCON</i> , sive <i>de Cura Canum Venaticorum</i> ,	96

## P A R S III.

### M. HIERONYMI VIDÆ.

<i>BOMBYCUM</i> ,	103
<i>POETICORUM</i> ,	131
<i>SCACCHIA LUDUS</i> ,	190

### AONII PALEARII.

<i>De ANIMORUM IMMORTALITATE</i> ,	211
------------------------------------	-----

---

## E R R A T A.

Pag. 64. lin. 23. *pro* rosea, *lege* rosa.

P. 117. l. 24. *pro* Sclymorum, *lege* Solymorum.

S E -

S E L E C T A  
**P O E M A T A**  
**I T A L O R U M.**

## P A R S I.

**A C T I I   S Y N C E R I   S A N N A Z A R I I**  
 Ecloga I.

P H Y L L I S.

L Y C I D A S. M Y C O N.

**M**Irabar, vicina, Mycon, per littora nuper  
 Dum vagor, expectoque leves ad pabula thynnos,  
 Quid tantum insuetus streperet mihi corvus, & udæ  
 Per scopulos passim fulicæ, perque antra repostæ  
 Tristia flebilibus completerent saxa querelis :  
 Cùm jam nec curvus resiliret ab æquore delphin,  
 Nec solitos de more choros induceret undis.  
 Ecce dies aderat, charam quâ Phyllida terræ  
 Condidimus, tumuloque pias deflevimus umbras,  
 Ah ! miseri : & posthac nec tristes linquimus auras,  
 Nec dubitat sœvus solatia ferre Pylemon ?

My. Scilicet id fuerat, totâ quod nocte vaganti  
 Huc, illuc, dum Paufilypi latus omne pererro,  
 Piscofamque lego celeri Nesida phaselio ;  
 Nescio quid queruli gementi lachrymabile mergi.

( a z )

Phyllis

Phyllis ad inferias, Phyllis (si credimus) illos  
Ad gemitum, ô Lycidá, tumulique ad sacra vocabat.

L y. Eheu ! chare Mycon, qualis spectacula pompæ  
(Nunc recolo) quas ipse manus, quæve ora notavi  
His oculis ; his, inquam, oculis quæ funera vidi  
Infelix ? nec me tandem dolor improbus egit  
In scopulos, in saxa, rogo ve absumpit eodem  
Ignea vis, vel saltem aliquis Deus æquore mersit.

M y. O Lycida, Lycida ; nonne hoc felicius illi  
Evenisse putas, quam si fumosa Lycotæ  
Antra, vel hirsuti tegetem subiisset Amyntæ ?  
Ec nunc heu ! viles hamo sibi quæreret escas ;  
Aut tenui laceras fareiret vimine naßas.  
Sed tu, siquid habes, veteres quod lugeat ignes ;  
Quod manes, cineresque diù testetur amatos ;  
Incipe ; quandoquidem molles tibi littus arenas  
Sterpit, & insani posuerunt murmura fluctus.

L y. Immo hæc quæ cineri nuper properata parabam  
Carmina, ab extremo cum jam cava littora portu  
Prospicerem, & nivei venerarer saxa sepulcri,  
Incipiam ; tu coniferas ad busta cupressus  
Sparge manu, & viridi tumulum superintegre myrto.

M y. En tibi cærulei muscum æquoris, en tibi conchas  
Purpureas, nec non toto quæsita profundo,  
Et vix ex imis evulsa corallia faxis  
Adferimus ; tu solennes nunc incipe cantus :  
Incipe, dum ad solem Baianus retia Mylcon  
Explicat, & madidos componit in orbe rudentes.

L y. Quos mihi nunc Divæ scopulos, quæ panditis antra  
Nereides ! quas tu secreti littoris herbas  
Glauce pater, quæ monstriferis mihi gramine succis  
Ostendes nunc Glauce ! quibus tellure relicta,

Ah !

Ah ! miser, & liquidi factus novus incola ponti,  
 Te sequar in medios mutato corpore fluctus,  
 Et feriam bifidâ spumantia marmora caudâ.  
 Nam quid ego (heu !) solis vitam sine Phyllide terris  
 Exoptem miser ? aut quidnam raptâ mihi luce  
 Dulce putem ? quidve hic sperem ? quid jam moror ultra  
 Infelix ? an ut hâc vili projectus in algâ,  
 Arentes tantum frutices, desertaque cernam  
 Littora, & ingrato jaetem mea verba sepulcro ?  
 Scilicet hos thalamos, hos felices hymenæos  
 Concelebrem ? sic speratae mihi gaudia tedæ  
 Dat Venus ? ambiguos sic dat Lucina timores ?  
 Quis mihi, quis te te, rapuit, dulcissima Phylli,  
 Phylli meæ quondam requies, spesque unica vitæ,  
 Nunc dolor, æternusque imo sub pectore luctus ?  
 Non licuit tecum optatos conjungere somnos,  
 Dulcia nec primæ decerpere dona juventæ,  
 Aut simul extremos vitam producere in annos ?  
 Nunc te (quis credat ?) lapis hic habet, & mihi nusquam es,  
 Nusquam terrarum Phyllis : sed fabula, & umbræ  
 Frustrantur miseris, per dira insomnia, noctes.  
 Me miserum ! quâ te tandem regione requiram ?  
 Quâve sequar ? per te quondam mihi terra placebat,  
 Et populi, lætæque suis cum mœnibus urbes :  
 Nunc juvat immensi fines iustraræ profundi ;  
 Perque procellosas errare licentius undas.  
 Tritonum immistum turbis, scopulosaque cete  
 Inter, & informes horrenti corpore Phocas ;  
 Quo nunquam terras videam : jam jam illa tot annis  
 Culta mihi tellus, populique, türbesque, valete ;  
 Littora chara valete ; vale simul optima Phylli.  
 Nos tibi, nos liquidis septem pro fluctibus aras

Ponemus ;

Ponemus ; septemque tibi de more quotannis,  
 Monstra maris magni, vitulos maestabimus hirtos :  
 Et tibi septenis pendebunt ostrea fertis,  
 Ostrea muricibus variata, albisque lapillis :  
 Hic tibi Nisæe, & flavos resoluta capillos  
 Cymodoce, mitisque piâ cum matre Palæmon,  
 Et Panope, & Siculi custos Galatea profundi  
 Solennes nectent choreas, & carmina dicent  
 Quæ Proteus quondam divino pectore vates  
 Edocuit, magni cum funera fleret Achillis,  
 Et Thetidis luctus consolaretur amaros.  
 At tu sive altum felix colis æthera, seu jam  
 Elysios inter manes, coetusque verendos,  
 Lethæos sequeris, per stagna liquentia, pisces ;  
 Seu legis æternos formoso pollice flores,  
 Narcissumque crocumque, & vivaces amaranthos,  
 Et violis teneras misces pallentibus algas ;  
 Adspice nos, mitisque veni ; tu Numen aquarum  
 Semper eris, semper lætum pescantibus omen.  
 Ut Nymphis, Neroque, ut flavicomæ Amphitrite,  
 Sic tibi, victrices fundent libamina cymbæ.  
 Interea tumulo supremum hoc accipe carmen ;  
 Carmen, quod tenui dum nectit arundine linum,  
 Piscator legat, & scopulo suspireret ab alto.

*In gremio Phyllis recubat Sirenis amatæ,  
 Confurgis gemino felix Sebethe sepulcro.*

Mv. Dulce sonant, Lycida, tua carmina : nec mihi  
 Halcyonum lamenta, aut udo in gramine ripæ [malim  
 Propter aquam dulces cygnorum audire querelas.  
 Sed tu (sic faciles vicina Megeria semper  
 Sufficiat conchas ; sic proxima Mergilline  
 Ostrea, saxosæque ferat tibi rupis echinos : .

Quan-

## E C L O G A E.

5

Quandoquidem nox obscuras jam distulit umbras,  
Nec dum permensus cœlum Sol) incipe rursus,  
Atque itera mihi carmen : habent iterata leporem.

L Y. Ne miserum ne coge Mycon : sat lumina, sat jam  
Exhaustæ maduere genæ : dolor (adspice) siccas  
Obduxit fauces ; quatit & singultibus imum  
Pectus ; anhelantemque animam vox ægra reliquit.  
Et tamen, hæc aliâs tibi nos, & plura canemus,  
Fortasse & meliora, aderit si Musa canenti.  
Quin & veliferis olim hæc spectanda carinis  
Seu Prochytæ, seu Miseni sub rupe patentí  
Inscribam, grandesque notas ferrugine ducam :  
Præteriens quas nauta mari percurrat ab alto,  
Et dicat : Lycidas, Lycidas hæc carmina fecit.  
Sed quoniam socii passim per littus ovantes  
Expectant, poscuntque tuas ad retia vires :  
Eja age, jam surgamus ; ego hæc ad busta sedebo :  
Tu socios invise : escas nam quærere tempus ;  
Et tibi nunc vacuæ fluitant fine pondere nassæ.

## E C L O G A II.

### G A L A T E A.

F Orte Lycon vacuo fessus confederat antro  
Piscator, quâ se scopuli de vertice lato  
Ostentat Pelago pulcherrima Mergilline.  
Dûmque alii notosque sinus, piscofaque circum  
Æquora colluстрant flammis, aut linea longè  
Retia, captivosque trahunt ad littora pisces :  
Ipse per obscuram meditatur carmina noctem.

Immitis Galatea, nihil te munera tandem,  
Nil nostræ movere preces ? verba irrita ventis

Fundi-

Fundimus? & vanas scopolis impeginus undas?  
 Adspice, cuncta silent: Orcas, & maxima Cete  
 Somnus habet: tacitæ recubant per littora Phocæ.  
 Non Zephyri strepit aura: sopor suus humida mulcet  
 Æquora: sopito connivent sydera cœlo.  
 Solus ego (hei misero!) dum tristi pectore questus  
 Nocte iterò, somnum totâ de mente fugavi,  
 Nec tamen ulla meæ tangit te cura salutis.  
 At non Praxinoë me quondam, non Polybotæ  
 Filia despexit, non divitis Uxor Amyntæ  
 Quamvis culta sinu, quamvis foret alba papillis.  
 Quin etiam Ænariâ (si quicquam credis) ab altâ  
 Sæpè vocor: solet ipsa meas laudare Camœnas  
 In primis formosa Hyale: cui sanguis Iberis  
 Clarus avis: cui tot terræ, tot littora parent:  
 Quæque vel in mediis Neptunum torreat undis.  
 Sed mihi quid prosunt hæc omnia, si tibi tantùm  
 (Quis credat Galatea?) tibi si denique tantùm  
 Displico? si tu nostram crudelis avenam  
 Sola fugis? sola & nostros contemnis amores?  
 Ostrea Miseni pendentibus eruta saxis  
 Mille tibi misi: totidem sub gurgite vasto  
 Pausilypus, totidem vitreis Euplæa sub undis  
 Servat adhuc; plures Nefis mihi servat echinos,  
 Quos nec vere novo foliis lentiscus amaris  
 Inficit, aut vacuæ tenuant dispendia Lunæ.  
 Prætereà mihi sub Pelago manus apta legendis  
 Muricibus, didicit Tyrios cognoscere succos:  
 Quoque modo plenâ durent conchyliâ testâ.  
 Quid refugis? tingenda tibi jam lana paratur,  
 Quâ niteas, superesque alias Galatea puellas:  
 Lana maris spumis quæ mollior; hanc mihi pastor

Ipse

Ipse olim, dedit hanc pastor Melisæus ab altâ  
 Cum me forte senex audisset rupe canentem :  
 Et dixit, puer ista tuæ sint præmia Musæ,  
 Quandoquidem nostrâ cecinisti primus in actâ.  
 Ex illo in calathis servavi, ut mittere possem.  
 Sed tu (nequa mihi superet spes, nequa futuri  
 Conditio Galatea) manum mihi dura negâsti.  
 Hoc est, hoc, miserum quod perdidit ; ite Camœnæ,  
 Ite procul ; sprevit nostras Galatea querelas.  
 Scilicet exiguae videor quod navita cymbæ,  
 Quodque leves hamos, nodosaque retia tracto,  
 Despicis : an patro non hœc quoque littore Glaucus  
 Fecerat, æquoræ Glaucus scrutator arenæ,  
 Et nunc ille quidem tumidarum numen aquarum ?  
 Sed nec, quæ nimium vel me sic falsa fatigat,  
 Fabula te moveat Lydæ : licet illa puellis  
 Jaçtet, nescio quas mihi se misisse corollas :  
 Non me Lyda tamen, non impulit, æquora testor,  
 Nereïdasque omnes ; si fallo, naufragus illas  
 Experiar, falsosque bibam sub gurgite fluctus.  
 Heu quid agam ? externas trans Pontum quærere terras  
 Jampridem est animus : quo nunquam navita, nunquam  
 Piscator veniat : fors illic nostra licebit  
 Fata queri. Boreæ extremo damnata sub axe  
 Stagna petam, & rigidis nunquam non cana pruinis ?  
 An Libyæ rapidas, Austrique tepentis arenas,  
 Et videam nigros populos, solemque propinquum ?  
 Quid loquor infelix ? an non per faxa, per ignes,  
 Quo me cunque pedes ducent, mens ægra sequetur ?  
 Vitantur venti : pluviæ vitantur, & æstus :  
 Non vitatur amor, mecum tumuletur oportet.  
 Jam faxo me me ex illo demittere in undas

Præcipitem jubet ipse furor: Vos ô mihi Nymphæ,  
Vos maris undifoni Nymphæ præstate cadenti  
Non duros obitus, fævasque extinguite flamas.

Scilicet hæc olim, veniens seu littore curvo  
Cajetæ, seu Cumarum navalibus altis,  
Dum loca transibit, rausus de puppe Magister  
Hortatus socios, dextrum deflectite, dicet,  
In latus ô socii: dextras deflectite in undas:  
Vitemus scopulos infames morte Lyconis.

Talia nequicquam surdas jactabat ad auras  
Infelix pescator, & irrita vota fovebat:  
Cùm tandem extremo veniens effulgit ab ortu  
Lucifer, & roseo perfundit lumine pontum.

## E C L O G A III.

## M O P S U S.

C E L A D O N. M O P S U S. C H R O M I S. I O L A S.

**D**IC mihi (nam Baulis verum si retulit Ægon  
Bis senos vos, Mopse, dies tenuere procellæ)  
Quid tu, quid Chromis intereà, quid vester Iolas?  
Dum Notus insultat pelago, dum murmurat unda,  
Ecquid desertis vacui lusistis in antris?

M o p. Quid nostræ facerent ingrata per otia Musæ  
O Celadon? neque tum conchas impunè licebat  
Per scopulos, non octipedes tentare paguros.  
Jam fragilem in sicco munibant faxa phaselum;  
Raraque per longos pendebant retia remos:  
Ante pedes cistæque levæ, hamique jacebant,  
Et calami, nassæque & viminei labyrinthi.  
Tum Chromis Inarimen spectans, his, inquit, ab oris  
(Ah dirum exilium!) nostræ solvere carinæ:

Cum

Cum regem post bella suum comitata juventus  
 Ignotis pelagi vitam committeret undis.  
 Quæ tamen (ut fama est) Ligurum per saxa, per altas  
 Stoëchadas, emicuit : Rhodanique invecta per amnem  
 (Nam benè si memini, Rhodanum referebat Amilcon)  
 Oceani madidas vidiſt refluentis arenas,  
 Et quæ cœruleos procul aspicit ora Britannos ;  
 Quà (nisi vana ferunt) quoties maris unda refedit,  
 Indigenæ eaptant nudos per littora pisces.

Ne Chromi, ne luētus renova, respondet Iolas :  
 Sat tuus hæc nobis Lucrini nuper ad undam  
 Narravit Lycabas : solem se scilicet illic  
 Trans fluctus, trans & nubes vidisse cadentem ;  
 Haud aliter, quām si nostris è montibus illum  
 Cajetæ adspiceret longè post littora ferri ;  
 Et strepitum sensisse ruentis ab æthere currūs.  
 Præterea mores populorum, urbesque, locosque  
 Exposuit ; quernasque domos, & lignea tecta :  
 Addidit & varias (heu barbara nomina !) gentes ;  
 Bellovacos, Morinosque ; & quos quis dicere possit ?  
 Tarbellos : latis errare & flumina campis :  
 Nescio quem Ligerim tectis se innâſſe carinis.  
 Sed mea nunc aliæ poscunt sibi pectora curæ.  
 Tu modò siquid habes (& te quoque Chloridis ardor,  
 Excruciat) scopulo hoc mecum meditare vicissim :  
 Audiet, & gracilem percurret Mopsus avenam.  
 Sic illi : ast ego nil contrà, sed quæ mihi collo  
 Garrula pendebat, manibus tunc sumpta cicuta est,  
 Scilicet alternos conabar arundine versus  
 Excipere, alternis nam dicere uterque parabat.  
 Nec mora, jam Chromis hos, hos & referebat Iolas.

## S A N N A Z A R I I

C H R. Nereïdes pelagi sacrum genus, aut mihi vestris  
Munera ferte vadis, duram queis Chlorida placem :  
Aut, si muneribus flecti nequit, æquore toto  
Quærите, quæ nostrum sanet medicina furorem.

I o L. Sirenes, mea cura, audite hæc ultima vota :  
Aut revocet jam Nisa suum, nec spernat Iolam ;  
Aut videat morientem : hæc faxa impulsa marinis  
Fluctibus, hæc misero vilis dabit alga sepulcrum.

C H R. Qualis tranquillo quæ labitur æquore cymba,  
Cum Zephyris summæ crispantur leniter undæ,  
Tuta volat ; luditque hilaris per transtra juventus :  
Talis vita mihi, mea dum me Chloris amabat.

I o L. Adspicis, iratæ feriant ut faxa procellæ ?  
Ut validis imæ Coris turbentur arenæ ?  
Jam scopolis furit unda ; tremit jam terra tumultu :  
Fallor, an hæc ipsa est Nisæ indignantis imago ?

C H R. O Proteu, pastor liquidi maris ; ô pater, ô rex,  
(Quandoquidem insanos odistis numina fastus)  
Quære Pithecas tu, cui licet, atque superbæ  
Dic Hyalæ, falsum te pascere monstra per æquor.

I o L. Ille habet, ille meos scopulus mihi servat amores,  
Qui propior terræ est : illum pete Glauce natatu :  
Neve manus duri contemnat Nisa mariti,  
Dic se squamigeras traxisse ad littora prædas.

C H R. Est Veneri Cypos gratissima ; Creta Tonanti ;  
Junonique Samos ; Vulcano maxima Lemnos :  
Ænariæ portus Hyale dum pulchra tenebit,  
Nec Samos Ænariam vincet, nec maxima Lemnos.

I o L. Gradivus Rhodopen, & Mercurius Cyllenen ;  
Ortygiam Phœbe, Tritonia jaçtat Hymetton :  
Nisa colit Prochytem ; Prochytæ si commoda norint,  
Ortygiam Phœbe, Tritonia linquet Hymetton :

C H R. Hic

CHR. Hic specus, hic rupes, texendisque optima nassis  
 Vimina sunt, junci, densaque per avia myrtus :  
 Si mihi nunc Pholoë, vel tantum Chloris adeslet,  
 Quam bene pugnaces possem contemnere ventos ?

IoL. Nulla mihi sine te rident loca ; displicet aequor,  
 Sordet terra, leves odi cum retibus hamos :  
 At si aderis tu Nisa, placebunt omnia : laetus  
 Tunc ego vel Libycis degam piscator arenis.

CHR. Dat Rhombos Sinuesa ; Dicarchi littora Tagros ;  
 Herculeæ Mullum rupes ; Synodontas Amalphis ;  
 Parthenope teneris scatet ambitiosa puellis :  
 Quis mihi nunc alias scrutari suadeat algas ?

IoL. In fluviis Mugil versatur ; Sargus in herbis ;  
 Polypus in scopulis ; mediis Melanurus in undis :  
 Ante tuas, mea Nisa, fores ego semper oberro :  
 Quæ mihi det tales jucundior insula portus ?

MoP. Haec tenus, ô Celadon, resonis sub rupibus illos  
 Inter se vario memini contendere cantu,  
 Horrida ventosi ridentes murmura ponti :  
 Qui tamen & laudes, & munera digna tulere  
 Carminibus, sed quæ nequeat contemnere Triton ;  
 Hic, quam Circeio nudus sub gurgite cepi,  
 Nativis concham maculis, & murice pictam ;  
 Ille recurvato nodosa Corallia trunko.

F E R D I N A N D O F R E D E R I C I R é g i s F. A R A  
G O N I O C A L A B R I A Æ D u c i.

## E C L O G A IV.

## P R O T E U S.

**N**unc primum notas velis majoribus undas  
Currimus, ô Nymphæ Craterides: ordine quando  
Suadet amor, charæ primos telluris honores  
Dicere: cæruleæ magni Crateris alumnæ  
Telluris primos charæ dicamus honores,  
Dum radiis fervens medium Sol excoquit æquor.

Tu verò patriæ juvenis decus, edite cœlo,  
Spes generis tanti: seu te nimboſa Pyrene  
Pro dulci Latio, pro nostris detinet arvis;  
Seu vagus objecto munimine claudit Iberus,  
Rumpe moras: nec te latis Hispania regnis  
Alliciat, stirpisve tuæ primordia, & ille  
Gentis honos; licet effuso Tagus impleat auro,  
Et pater Oceanus ſpumanti perluat undâ.  
Nam mihi, nam tempus veniet, cùm reddita ſceptra  
Parthenopes, fractosque tuâ sub cuspide reges  
Ipſe canam: nunc littoream ne despice muſam,  
Quam tibi poſt ſylvas, poſt horrida luſtra Lycaeū  
(Siquid id eſt) falſas deduxi primus ad undas,  
Aufeſus inexpertâ tentare pericula cymbâ.

Quæ vada non norunt, quis nescit Protea portus?  
Illum olim veteris paſcentem ad ſaxa Minervæ,  
Mulcentemque ſuas divino carmine Phocas,  
E puppi ſenſerè Melanthius, & Phraſidamus,  
Ut forte à Capreis, obſcurâ nocte, redibant:  
Senſerè & vario delphinis ludere cursu,

Trito-

Tritonumque choris longe freta pulsa sonare.  
 Ipse autem, haudquaquam mortali digna referri  
 Verba sono, vacuas lætus cantabat ad auras :  
 Terrigena ut quondam matris de ventre Typhoëus  
 Exiliens, infanda deos ad bella vocasset :  
 Ut fratum primus, furiis & hiantibus hydris  
 Instructus, densas ductaverit ipse catervas :  
 Ut nisu ingenti partes de monte revulsas,  
 Ænariam, Prochytenque altis immiserit astris,  
 Ac totum subito cœlum tremefecerit ictu :  
 Tum Pater haud segni molitus fulmina dextrâ  
 Immanes acies dejecerit, atque trophæum  
 Jussit ardentes testari sulfure Praias ;  
 Quòd gens victa illis lavisset vulnera lymphis.

Hinc magni Alcidæ tauros, stratumque profundum  
 Aggeribus memorat, ductamque per oppida pompam.

His veteres addit Cumas, loca cognita Phœbo,  
 Vatis & horrendæ lucos, Triviæque recessus ;  
 Cimmeriūmque domos & opaca in vallibus antra.

Te quoque formosæ captum Nefidos amore,  
 Pausilipe, irato compellat ab æquore questu.  
 Ah ! miser, ah ! malè caute, tuæ quid fata puellæ  
 Acceleras ? cupit in medios evadere fluctus  
 Infelix : cupit insuetum finire dolorem.

At tibi nec curæ est, quòd eam Neptunia monstra  
 Circumstent, mare nec rapido quòd forbeat æstu.  
 Ah ! miser, ah ! malè caute, ultrâ quid brachia tendis ?  
 Siste gradum ; riget illa jugis adsueta nivosis  
 Venatrix ; quam mille feræ timuere sequentem  
 Per saltus : vos hanc Panope, vos candida Drymo,  
 Cymothoëque, Rhoëque, Pherusaque, Dinamoneque,  
 Accipite : & vestris sociam lustrate choreis.

Tum canit antiquas sedes, opulentaque regna  
 Auricomæ Sirenis, & altum in monte sepulcrum,  
 Sacraque Chalcidicosque deos, magnisque per æquor  
 Auspicii vectas, hæc ipsa ad littora, classes.

Tum liquidos fontes subter cava mœnia dicit,  
 Attollitque arces, & culmina montibus æquat  
 Tectorum: vastas protendit in æquora moles,  
 Euplœamque procul trepidis dat cernere nautis,  
 Atque Pharon jungit scopulos, præruptaque saxa  
 Theleboūm, Sarnique amnes, & pinguia culta.

Tum canit, ut Coridona sacro Melisæus in antro  
 Viderit, & calamos labris admoverit audax:  
 Formosum quibus ille olim cantarat Alexin,  
 Dixerat & musam Damonis, & Alphesibœi:  
 Queis fretus, dictante deâ, tot sydera nobis  
 Prodiderit, tantas cœli patefecerit oras.

Quid referam aut Stabias, aut quæ tenuisse canoris  
 Virginibus fama est abeuntes saxa carinas?  
 Aut ut terrifici sonitus ignemque Vesevi,  
 Et desolatas passim defleverit urbes?  
 Postremò reges, regumque ex ordine pugnas  
 Enumerat; bellique artes, & præmia narrat.  
 Addit tristia fata, & te, quem luget ademptum  
 Italia infelix (sive id gravis ira deorum,  
 Seu fors dura tulit) trans altas evehit Alpes,  
 Mox agit Oceani propè littora: denique sistit  
 Spumantem ad Ligerim, parvâque includit in urna.

Heu sortem miserandam! heu pectora cæca futuri!  
 Hæccine te fessum tellus extrema manebat  
 Hospitiis, post tot terræque marisque labores?  
 Pone tamen gemitus: nec te monumenta parentum,  
 Aut moveant sperata tuis tibi funera regnis.

Grata

Grata quies patriæ: sed & omnis terra sepulcrum.

Hæc ille, & quæ vix audita prioribus annis  
 Heroum longæva queat meminisse vetustas  
 Commemorat: socio respondent æquora plausu;  
 Luna suam donec paulatim fundere lucem  
 Cœpit, & ad vitreas redierunt numina sedes.

CASSANDRÆ MARCHESIÆ, mulieri præstans-  
 tissimæ.

## E C L O G A V.

HERPYLIS PHARMACEUTRIA.

DORYLAS. THELGON.

**S**ed jam vulgatos & nos referamus amores:  
 Quos pariter gratâ scopuli pendentis in umbrâ  
 Hinc Dorylas, hinc Theleboi maris adcola Thelgon  
 Certantes docuere: quibus cava littora, & ipse  
 Æquoreus Platamon, sacrumque Serapidis antrum  
 Cum fonte, & Nymphis adsultavere marinis.

Tu mihi, seu doctas percurris Palladis artes,  
 Mæoniæque aurum, & subtegmina vincis Arachnes:  
 Seu Dryadum choreis, coetique immista Dianæ  
 Haud minor incedis; piñâque adcincta pharetrâ  
 Venatu Prochyten maternaque regna fatigas:  
 Sive Dicarchæis quò molibus adsilit æquor,  
 Ludentes spectas Nereidas: en age nostros,  
 (Siquis honos pelagi) Cassandra en aspice lusus.  
 Non ingrata cano, penitusque injussa: neque unquam  
 Arguerint ventura meis te secula chartis  
 Præteritam; faveat modò non invitus Apollo,  
 Et quæ me facili vexere per æquora remo

Pierides:

Pierides : queis longa dies & nomina curæ.  
Interea Dorylam juvet hic audire canentem.

Do r. Sebethi ad liquidas descenderat Herpylis undas,  
Herpylis Euboidum non ultima, quam pater Alcon  
Erudiit ; Muis & Phœbo cognitus Alcon.  
Venerat & socii partem subitura laboris  
Unanimis soror, & calathum de more ferebat :  
Ipfa comas effusa, pedemque exuta finistrum,  
Cum philtris longum submurmurat : atque ita fatur.

Pone aram, & vivos hauri de flumine rores,  
Canaque vicino decerpe absinthia campo.  
Illum illum magicis conabor adurere sacris,  
Qui miseram totâ spoliatam mente reliquit.

Volvite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.  
Rhombus ad Æmonias revocetur aheneus artes :  
Sistere qui pluvias, qui pellere nubila cœlo,  
Qui potis est trepidos undis abducere pisces.

Volvite præcipitem, mea licia, volvite rhombum.  
Alga tibi hæc primum tumidi purgamina ponti  
Spargitur, & rapidis absimitur arida flammis :  
Sic mihi, sic Mæon, uraris adusque medullas.

Volvite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.  
Tèr muscum Clearista, tèr hunc sine forcipe cancrum  
Ure simul, cuimque his dic, viscera Mæonis uro.

Volvite præcipitem, mea licia, volvite rhombum.  
Spongia nunc lacrymis perfunditur ; heus bona magno  
Spongia nata mari, lacrymas bibe sedula nostras :  
Utque rapis sitiens illas, sic Mæonis omnem  
Mæonis ingrati rapias de pectore sensum.

Volvite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum :  
Ut pumex pinguescit, ut æquoris unda quiescit,  
Quæ ventis agitata huc illuc concita fertur.

Se

## E C L O G A E.



Sed quid ego heu! tristi pectus concussa dolore  
Imprecer, & vanis jaetem convitia ventis?  
Mæon tot mihi damna, ego Mæoni verba rependam?

Volvite præcipitem, mea licia, volvite rhombum.  
Huc huc, qui rigidâ meditaris vulnerâ caudâ  
Sæve Trigon, & tu, proprium cui fistere naves  
Veliferas Echeneis, adeste: & Mæonis acres  
Tu retinere pedes, tu figere corda labora.

Volvite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.  
Tunde jecur, spumamque simul Torpedinis atræ:  
Hæc ego cras illi lethalia pocula mittam:  
Ebibat, & subitò pallentes torpeat artus.

Volvite præcipitem, mea licia, volvite rhombum.  
Scinde manu leporem: leporis penetrabile virus  
Nascitur Eois hîc fluctibus: adulit Ægle,  
Docta Ægle, jussitque inimicum tangere limen.  
Curre age, tange simul, simul obline: cras mihi poenas  
Perfidus ille dabit; gemet ipso in limine Mæon.

Sistite præcipitem jam nunc, mea licia, rhombum.  
Contere & Halcionis nidum mihi: pellere ventos  
Dicitur, & fævas pelagi mulcere procellas:  
Forsitan hic nostros sedabit pectoris æstus.

Sistite præcipitem, jam sistite, licia, rhombum.  
Hactenus ille: quid huic subjunxerit ordine Thelgon,  
Accipe; non omnes unus dolor angit amantes.

THEL. Rupe sub hâc mecum sedit Galatea: videbam  
Et Capreas, & quæ Sirenum nomina servant  
Rura procul: veteres, aliâ de parte, ruinas  
Herculis ambusta signabat ab arce Vesevus.

Exere cœruleos, Triton, de gurgite vultus,  
Ipse meas Triton Nero deferre querelas,  
Ipse potes eurvâ resonans super æquora conchâ

Ec

## S A N N A Z A R I I

Et scopolis narrare, & fluctivagis balænis,

Exere cæruleos, Triton pater, exere vultus.

Hic primos mihi congressus dedit illa roganti :

Hic niveam formosa manum porrexit & (eheu !

Quid recolo ?) tacitos in me deflexit ocellos.

Exere cæruleos, Triton, de gurgite vultus.

Huc ades, ô mea cura, quid ô ! quid lenta moraris ?

Ipse ego te propter socios cymbamque reliqui.

Exere cæruleos, Triton pater, exere vultus.

Hic tibi consuetas formosior explicat umbras

Populus ; amplectior saepe hanc, atque oscula figo

Corticibus : saepe ipsa pedum vestigia quæro :

Et siquid manibus tetigisti, floribus orno.

Exere cæruleos, Triton, de gurgite vultus.

Quem mihi nunc præfers ? si te juga frondea, si te

Arbuta, pascentesque juvant per rura capellæ :

Nos quoque non graciles nunc primùm jungere avenas

Discimus, incisas implent mea carmina fagos :

Et mea Mænaliis pendet jam fistula sylvis.

Exere cæruleos, Triton pater, exere vultus.

Sin magis arrident hæc littora, sin magis alti

Divitiæ pelagi ; sparsos quis cogere pisces

Doctior, aut rigidum dextra jaçtere tridentem ?

Exere cæruleos, Triton, de gurgite vultus.

Non ego delphinis, te judice, non ego thynnis

Æquore vel medio dubitem certare natando.

Quid tibi me jaçtem ? cui vix numerare vel hamos

Nunc vacat, aut restes, onerataque retia plumbo,

Et Sinüeffano textas de vimine nassas.

Exere cæruleos, Triton pater, exere vultus.

Me Ligurum duræ rupes, me Gallica norunt

Littora : pescantem pariter me Varus, & ingens

Sensit

Sensit Arar, sensere maris fera monstra Britanni.

Obrue cæruleos, Triton, sub gurgite vultus.

Et post hæc (heu !) dura fugis? non te mihi tellus

Extera, non venti rapuere, sed accipe munus,

Accipe, non ultrà tecum Galatea sedentem

Adspicies. I, læta novas meditare choreas.

Obrue cæruleos, Triton pater, obrue vultus.

## TRAJANO CABANILIO T R O J A E & M O N T E L L A E Domino.

### S A L I C E S. Appendix.

**S**I vacat, & blandos etiamnum ventilat ignes

Quæ Dea cæruleâ vehitur super æquora conchâ,

Turrigeramque Paphon, ditemque Amathunta tuetur;

Accipe flumineas properatum carmen ad undas,

O mihi non dubiâ Cabanili cognite famâ,

Sed longè varios rerum spectate per usus.

Nam tibi me doctæ sic devinxere sorores,

Sic mea felici permulcent pectora curâ,

Ut vix illa queam melioris tempora vitæ

Te sine, vix placidos per noctem ducere somnos.

En agedum, Trajane, tuis hæc prævia jussis

Tractanti, jamjamque animo majora paranti

Da veniam, & tenues ne dignare Camœnas.

Fortè inter virides (si vera est fama) genistas

Capripedes Satyri, passimque agrestia Panes

Numina, cum Faunis, & montivagis Sylvanis,

Exercet dum sol raucas per rura cicadas,

Vitabant æstus, quâ pingua culta vadosus

Irrigat & placido cursu petit æquora Sarnus.

Grata quies nemorum manantibus undique rivis,

Et

Et Zephyris densas inter crepitantibus alnos.  
 Dumque leves aptant calamos, dum sibila pressis  
 Explorant digitis, tenuique foramina cerâ,  
 Obducunt, vario modulantes carmina cantu ;  
 Auricomæ viridi speculantur ab ilice Nymphæ  
 Dulcia clarisonis solventes ora cachinnis :  
 Sed propè ferre pedem metuunt, nam sœpè labores  
 Audierant Panæa tuos : & qualibus olim  
 Infelix eheu virgo Nonacria fatis,  
 Infelix virgo (quid enim non illa moveret ?)  
 Pana metu fugiens è vertice Cyllenæo,  
 Pana Deum Arcadiæ, quamvis pulcherrima, quamvis  
 Dianæ sacros inter lectissima coetus,  
 Nodosâ tenerum mutârit arundine pectus.  
 Quas simul ac nemorum petulans effrænaque pubes  
 Semiferi vidêre per herbida prata vagantes,  
 Occultamque imisflammam traxere medullis,  
 Sic timidas blandis hortantur vocibus ultrò.

Huc, huc, ô teneræ placidissima turba puellæ :  
 Quid procul adstatis? potius succedite ripæ,  
 Et viridi in prato molles de more choreas  
 Ducite, quandoquidem calamos inflamus inertes,  
 Et frustrà ad surdas jactamus carmina sylvas.  
 Illæ nil contra : celeri sed nuda parabant  
 Crura fugæ, tutosque agitabant mente receptus,  
 Si quâ fortè viam per faxa irrumpere, & altis  
 Evasisse jugis, Deus aut sua fata dedissent.  
 Tum juvenes, procul ô, clamant, procul iste, puellæ,  
 Sit timor, ignavas animo depellite curas :  
 Nullæ hîc infidiæ, nullæ per aperta latebræ ;  
 Cuncta patent ; nullas abscondunt hæc loca fraudes.  
 Nos quoque non Lernæ monstris, non igne Chimæræ,  
Scyllæisve

Scyllæisve lupis geniti, aut latrante Charybdi,  
 Qui vestra immani laceremus viscera morsu :  
 Sed divum genus, & qui semper rupibus altis  
 Vobiscum crebris venatibus insultemus.  
 His dictis permulsi animi, securaque tristem  
 Corda metum ejciunt : gressuque per uda citato  
 Prata, deis tandem cupidis, ripæque propinquant.  
 Tum manibus simul implicitis per gramina festas  
 Exercent choreas : aliosque aliosque reflexus  
 Inter se lætæ repetunt : nunc corpora librant  
 In saltus : nunc molle latus, nunc candida jactant  
 Brachia ; & alternâ quatiunt vestigia plantâ.  
 Hic Satyri, quanquam voces audire canentum  
 Crudeles, quanquam niveas spectare papillas  
 Exultant, oculisque bibunt sipientibus ignem ;  
 Tanta tamen sævi gliscit vis effera morbi  
 Pectoribus, præcepsque amor, & malesana libido,  
 Ut calamis sensim ejectis, ruptoque repente  
 Fœdere, surgentes ab humo, vento ocyùs, omnes  
 Exiliant, spretâque Deûm pietate, fideque,  
 Ah ! pavidas Nymphas, subitoque horrore rigentes  
 Invadunt avidi ; sævorum more luporum,  
 Qui lætas mediis proturbant lusibus agnas,  
 Oblitasque sui passim rapiuntque trahuntque,  
 Dum viridi in campo cursant, aut valle sub altâ,  
 Et custos ignarus abest, & amica canum vis.  
 Sic illi ; at miseræ discisso pectore nymphæ  
 Frondiferam mœstis sylvam clamoribus implent ;  
 Atque huc atque illuc fugiunt, non saxa, neque altis  
 Tuta putant loca senta rubis : hinc ardua montis  
 Prærupti juga, diffusos hinc stagna per agros  
 Attonitæ circumspiciunt ; via nulla salutis :

## 22 SANNAZARI I ECLOGÆ.

Et jam spes prærepta fugæ : tum denique ad undas  
 Consistunt trepidæ, flavosque à vertice crines  
 Cum lacrymis, gemituque, & flebilibus lamentis  
 Abscindunt, Sarnumque vocant, liquidasque forores.  
 Dumque vocant, fundo properat chorus omnis ab imo  
 Naiadum, properat vitræ rex cærulus undæ,  
 Sarnus, inexhaustumque vadis ciet agmen aquarum,  
 Rauca sonans : sed quid Sarnusque, aut illa natantum  
 Agmina Naiadum possint, ubi ferrea contrâ  
 Stant fata, & duro leges adamante rigescunt ?  
 Ergo defectæ curâ auxilioque Deorum,  
 Ac cœlum pariter Nymphæ, lucemque perosæ,  
 Unum illud rebus tandem quod restat in arctis  
 Finem optant, jamque in fluvium se mergere adortæ,  
 Membra reclinabant, & aquas prono ore petebant ;  
 Cùm subito obriguere pedes, latéque per imos  
 Exspatiata unguis radix fugientia tardat  
 Adfigitque solo vestigia ; tum vagus ipsis  
 Spiritus emoritur venis, indignaque pallor  
 Occupat ora, tegit trepidantia pectora cortex ;  
 Nec mora, pro digitis ramos exire videres,  
 Auratasque comas glaucâ canescere fronde ;  
 Et jam vitalis nusquam calor, ipsaque cedunt  
 Viscera paulatim venienti frigida ligno.  
 Sed quamvis totos duratæ corporis artus,  
 Caudicibusque latus, virgultisque undique septæ,  
 Ac penitus salices ; sensus tamen unicus illis  
 Sylvicolas vitare deos, & margine ripæ  
 Hærentes, medio procumbere fluminis alveo.

J O H.

JOH. BAPT. A M A L T H E I

L Y C I D A S.

## E C L O G A VI.

**H**I S deploratam in sylvis nemorūmque latebris  
 Dicemus Lycidæ musam : quem flumina circùm,  
 Quem flevere suo spoliati gramine colles.  
 Tu modo, cui patriæ assurgunt jam libera regna,  
 Aureáque æterno revocantur secula mundo,  
 Cosme, ades, & nostris nunc primum allabere cœptis.  
 Ipse tibi Pario ponens de marmore templum  
 Gramineâ in ripâ, quâ Tuscus labitur Arnus,  
 Velocis quondam instituam certamina cursûs.  
 Illic victor ovans & præmia debita laudi  
 Accipiet, populisque suos testatus honores,  
 Victrices referet, Tyrrhena per oppida, lauros.  
 Interea agrestes ne dignare Camœnas.

Pallida cedebat venienti sydera Soli,  
 Cum Lycidas jussus terras lustrare reposcas,  
 Effudit miseros extremo hoc carmine questus.  
 Formosi colles, & Nymphis cognita rura,  
 Et liquidi fontes, atque addita fontibus antra,  
 Sylvarūmque valete umbræ : quæ dulcia nobis  
 Qtia, quæ charos olim peperisti amores.  
 Jam me complexu eripiunt fata impia vestro,  
 Ut videam iratas errantia monstra per undas,  
 Desertoque iterem moestos in littore questus.  
 Quòd si quando imà audistis sub valle canentem  
 Pastorem Lycidam, teneros dum pasceret agnos :  
 Idem si tenui vobis allusit avenâ :

C

Hoq

Hoc saltem viridi signatum in cortice carmen,  
 Suspensamque sacra lauro defendite avenam : .  
 Quam non ulla dies superet, non ulla vetustas.  
 Hinc ego ad ignotos saltus, & vasta Pyrenes  
 Rura vocor (quis enim tanto caruisse recessu,  
 Et sese dubiis committere fluctibus ultrò  
 Crederet ah ! miseram Lycidam ?) feliciaque arva  
 Deserere, & notis cogor decidere sylvis.  
 Ipse igitur pecudes, alio sub sole, requiram :  
 Externasque petam, diversa per æquora, terras.  
 Nec mihi jam blando decurrens murmure rivus  
 Herbarum in gremio suadebit carpere somnos.  
 Nec teneris posthac incidam Amaryllidis ignes  
 Arboribus, quam mille greges comitantur euntem :  
 Quæ mecum inter oves, atque inter opaca salicta  
 Suerat odoratis intexere lilia fertis,  
 Aut defessa levi componere membra sopore.  
 Ah dolor ! & patriæ fines, & commoda curis  
 Parta meis, semperque virentia prata relinquam :  
 Scilicet ut surdis jacet lamenta procellis,  
 Et patrias medio suspirem in gurgite sedes.  
 Me non excipient herboſo margine ripæ :  
 Non salientis aquæ gelidâ sub rupe fusurrus,  
 Non dorſo nemoris solabitur aura jacentem.  
 Spirabant dulces Zephyri : spirantibus illis  
 Cantabam, quo sole pyrum, quo sydere vitem  
 Inſererem, & certis mandarem semina fulcis,  
 Vos veris comites auræ, Divumque ministræ,  
 Quandoquidem cœlo infertis mortalia vota,  
 Vos placide salvete auræ : mecumque per æquor,  
 Atque per insuetos mecum decurrite campos.  
 Huc gemitum & noſtras referetis ſæpe querelas :

Quas

Quas fors accipiat madidis Amaryllis ocellis,  
 Et nostri desiderio crudelius ardens.  
 O mihi si veteres recolens Amaryllis amores  
 Ilacrymet, si sollicito suspiria corde  
 Ducat, & insq[ue]pi revocet me tristis ab undis;  
 Forsitan indignus terraeque marisque labores  
 Hinc tandem querar: & vacuo resupinus in antro  
 Te fugiente die, te decedentibus astris  
 Tunc Amarylli canam. Sed jam his divellor ab agris.  
 Rura valete iterum: sic vobis mella genitae,  
 Sic inarata graves tellus effundat aristas:  
 Pabulaque ut longo tondent sub sole juvenci,  
 Exiguâ sic nocte novis ros vestiat herbis.  
 Aurea mala prius sterili nascentur in alno,  
 Atque inculta ferent mites dumeta racemos,  
 Quam vestri curam abjiciam: tamen altera rura  
 Ipse colam audaci permensus cœrula pinu.  
 Ergo & oves custode alio per pinguia prata  
 Errabunt, pastæque simul cava in antra redibunt.  
 Tu vero spes fida gregis, quænam arva pererres  
 Infelix aries? quis te in convalle reductâ  
 Nunc molli violâ, croceis nunc floribus ornet?  
 Gramineosque toros viridi de cespite ponat?  
 At vos ô lauri, quarum fragrante sub umbrâ  
 Et nostra insolitis caluerunt pectora flammis,  
 Nostraque Mænalias meditata est fistula cantus,  
 Sic ver assiduum foveat, neu frigora lædant,  
 Néve unquam læto rami spolientur honore.  
 Ipsi etiam auratis afflurgant cornibus amnes  
 Supra Indum, & Gangem: lacrymis quos sæpe profusis  
 Auximus, & nostro latè succendimus igne,  
 Cum me ad delicias, formosa Amarylli, vocares.

## 26 J O H. B A P T. A M A L T H E I

Nunc verò, quoniam superi tot gaudia nobis  
Invidere, trucis tentare pericula ponti,  
Et Pyrenæo confidere vertice certum est.

## E C L O G A VII.

### A C O N.

**O** Qui Dictæi statuat me in vertice montis,  
Aut fortunatos Erymanthi fistat ad amnes:  
Ut saturis panacem calathis, ut molle cyperum,  
Dictamnumque legam, & fragrantia germina myrrhæ,  
Et relevem infirmos artus languentis Hyellæ.  
Illa quidem vix ægram animam sustentat anhelo  
Pectore, & indignis singultibus interrumpit;  
Nec vis ulla potest sævum lenire dolorem.  
Illam etiam lachrymantem, etiam sua fata querentem  
Stellarum vigiles ignes, & primus Eōus,  
Et Sol Hesperias vidit devexus ad undas.  
Sol pater, æterno cœlo qui lumine lustras,  
Et quæcumque parit tellus vegetasque fovesque,  
Affer opem, & moestam auxilio solare puellam.  
Jam tibi Acon teneras, vicina ad flumina, lauros  
Inseret: atque ut nil unquam surgentibus obstet  
Frondbus, avertet glaciem, & defendet ab æstu.  
Has tibi Acon: at si macies, si pallor Hyellam  
Liquerit, & niveos decorarit purpura vultus,  
Ipsa seret, cum ver nitidis se floribus ornat,  
Ipsa seret, mites cum stringit vinitor uvas.  
Scilicet, & viridi in ripâ, quæ se hospita densis  
Extendit ramis arbos, altaria ponet,  
Semper flore novo, semper quæ vestiat herbis.  
Illic agrestum chorus, & vicinia ruris

Sacra

Sacra feret, supplexque tuos cantabit honores :  
 Straveris ut quondam iratis Pythona sagittis ;  
 Tinxeris & foedo victoria tela cruento.  
 Mille tibi aëriâ pendebunt spicula queru,  
 Mille arcus, atque apta suo venabula ferro.  
 At vos, quæ nemora & rorantia fontibus antra  
 Incolitis, Nymphæ ; vestras si saepius aras  
 Verbenâ, primisque rosis donavit Hyella,  
 Et dedit aureolis insignia ferta corymbis ;  
 Vos ferte Eōs ditantia cinnama lucos,  
 Felicemque Arabum messem, Affyriosque liquores.  
 Vos ægram refovete, & tristes pellite morbos.  
 En virgo, exanimis virgo tabescit : & ille,  
 Ille decor roseo jam jam defloruit ore.  
 Qualis purpureus, secretâ in valle, Hyacinthus,  
 Quem mater tellus aluit, gremioque receptum  
 Eduxit largo rore, & felicibus auris,  
 Si cœli invasit vitium, aut immanior Auster,  
 Paulatim læto formæ spoliatus honore,  
 Deficit, & moriens arentibus incubat herbis.  
 Nunc etiam insuetos testantur rura dolores,  
 Et desolatis squallescunt pabula campis.  
 Pro violâ mediis horret paliurus in agris :  
 Candidaque inflexo ceciderunt lilia thyrso :  
 Et nulla irriguas pingunt vaccinia ripas :  
 Et defunt nemori frondes, & gramina pratis ;  
 Fons quoque defiliens prærupti tramite clivi  
 Contraxit liquidas nunc terræ in viscera venas ;  
 Et desiderio fornosæ accensus Hyellæ,  
 Vix fertur tenui, per lævia saxa, susurro.  
 Abde caput miserande, & fractâ turbidus urnâ  
 Muscofo occultare situ, cæcisque latebris :

28 JOH. BAPT. AMALTHEI

Non est, quæ vitreis tecum colludat in undis.  
Abde caput miserande, cavoque inclusus in antro  
Et lucem indignare, & aperti lumina coeli :  
Non est, quæ blando currentem carmine fistat :  
Non est, quæ dulces latices dulci hauriat ore.  
Crudeles morbi, vestro de semine labes  
Infedit, roseisque genis, roseisque labellis,  
Dejecitque decorem oculis : & saevior eheu !  
Ingruit, & miseram sylvis avertit Hyellam.  
Ah ! ne dira lues contagia proferat ultrà :  
Ah ! ne artus ultrà, pallentiaque occupet ora.  
Parcite jam tenerisque genis, tenerisque labellis :  
Et color, & pulchræ redeat sua gratia formæ.  
Tu vero mea Hyella, meæ pars altera vitæ,  
Pone metum, en tibi Pæonios fert munera succos  
Ipsa Pales, alacresque ferunt sua dona Napææ,  
Costumque, Illyricamque irim, vescumque papaver :  
Quorum ope & effœto fugiant è corpore morbi,  
Et placidus fessis obrepat somnus ocellis.  
Jainque pedem in sylvas referes, notosque recessus :  
Adventuque tuo fonti cursum uberis undæ,  
Et nemori frondes, & pratis graminæ reddes ;  
Et fœcunda novis ridebunt frugibus arva ;  
Et tibi odoratos submittet terra colores.

E C-

## E C L O G A VIII.

## C O R Y D O N.

**E**N iterum me rura vocant, dulcesque recessus,  
 Et juvat agresti meditari carmen avenâ  
 Propter aquam, umbroso quâ lenior aura salicto  
 Murmurat, & liquidis Athesis circumfluit undis.  
 Tu quoque, dum magnus tibi suggesteret otia, Cæsar,  
 Madruti heroum genus, & Diis æmula proles,  
 Pastorum assuesce hospitiis, atque arboris umbræ.  
 Hic passim in molli ponent altaria ripâ  
 Agricolæ, & plenis statuent convivia mensis,  
 Ut tibi lacte novo libent, & pinguibus agnis;  
 Solennesque serent pompas, ne sidera Divis  
 Invideas: sed & ipse hominum jam vota secundes.  
 Ergo ades, & tenuis lusus nè despice Musæ.  
 Nam fortunati moles ubi celsa Tridenti  
 Tollitur, hæc vacuas Corydon jactabat ad auras.  
 Felices auræ, quæ circum roscida culta,  
 Mollibus incinctæ Zephyris, & vere perenni,  
 Æternos alitis flores, & amœna vireta:  
 Vobis Idaliâ è myrto, ac Peneïde fronde  
 Constituit lucum, viridique è cespite ponit  
 Septem aras Corydon muscosi fontis ad undam:  
 Vos lenite æstus, atque alludente susurro  
 Mulcete ardantis radiantia lumina solis.  
 Sic nunquam vestros obscurent nubila cursus;  
 Sic tellus vobis, sic vobis rideat æquor.  
 Jam silvas mea Nisa colit, jam cincta pharetram  
 Audet obire nemus, celereisque avertere damas;

C 4

Nec

30 J o h. B A P T. A M A L T H E I

Nec timet ingentem clamore impellere cervum.  
Invideo vobis auræ : adspiratis eunti.  
Illa petit montes, & inhospita lustra peragrat  
Venatrix arcu insignis, levibusque sagittis.  
Et sive aëriæ lustrat latera ardua rupis,  
Seu vastos nemorum saltus indagine cingit,  
Vos fidæ comites estis, sociæque laborum.  
Audax heu nimium ! solos errare per agros,  
Et summa intonsi superare cacumina montis  
Haud tutum est, hic torvus aper consurgit in armos ;  
Multæ hic monstra acuit rabies, & dira cupido.  
Multæ hic infidiæ ; non est Dea nescia fraudis,  
Quæ violas, Siculâque legens nova ferta sub Ætnâ  
In felix rapta est horrentes Ditis in umbras ;  
Infelix timuit manes, & tristia regna ;  
Infelix latè ardentes exhorruit amnes.  
Tu quoque, sœve Aquilo, per devia rura vagantem  
Arripuisti avidis complexibus Orithyiam.  
Sœve Aquilo, hinc averte dolos, & flamina pone.  
Vos vero tenues animæ, rorantibus alis  
Et cœlo regnate, & iniquum arcete calorem.  
Invideo vobis auræ : vos carmine blando  
Detinet, & roseis exceptat Nisa papillis,  
Aut gremio herbarum, aut vacuo projecta sub antro.  
Illic & nostros secum meditatur amores.  
Ad surgunt silvæ, & tacito stant gutture circum  
Intentæ volucres, & cursus flumina fistunt,  
Dum canit, arridet pleno tum lumine cœlum.  
Nunc intertexto vaccinia pingit acantho  
Nunc gaudet niveis cultum variare ligustris,  
Nunc etiam gracili calathos detexere hibisco,  
Quod si languentes somno declinat ocellos,

Paulatim rapido fessam refovetis ab æstu :  
 Et læto ambrosios motu spiratis odores.  
 Invideo vobis auræ : lustratis opaca  
 Silvarum hospitia, incustoditosque recessus :  
 Et nostis, quo Nifa jugo, qua valle residat.  
 Illa quidem duris fese venatibus aptat,  
 Cum matutino perfundit gramina rore  
 Lucifer, atque avium resonant concentibus agri.  
 Sed prius, inflexo quām lucos terreat arcu,  
 Arbuteis aries evinctus cornua fertis  
 Florentem ad cythiseum, atque ad pabula nota vocatur.  
 Fortunate aries, te non felicior alter ;  
 Non qui per tumidas aurato tergore Phryxum  
 Vexit aquas, & nunc formosa intermicat astra.  
 Te virides hederæ, te mollis amaracus ornat.  
 Et modo lascivo detondes paſcua morsu  
 Affuetus campis ; placidi modò ſibila venti  
 Excipis, & pulsæ miraris murmura ſylvæ.  
 O, ego ſi poſſem niveo tua vellera dorſo  
 Induere, & patulæ prætendere cornua fronti :  
 Cum ſe nocte domum prædis onerata cruentis  
 Nifa refert, & te conſueta ad ſepta reducit !  
 Tunc mihi porrigeret ferrugineos hyacinthos,  
 Ridentesque crocos : tunc oſcula dulcia furtim  
 Virgineis ferrem manibus, lætusque petulco  
 Proſequerer curſu properantem ad tecta puellam.  
 At vos ô magno natæ Jove, vos ego multa  
 Sæpe prece, & vario venerabor munere florum,  
 Felices auræ, quæ circum roſcida culta  
 Mollibus incinctæ Zephyris, & vere perenni  
 Æternos alitis flores, & amœna vireta.

## E C L O G A IX.

## S A R N U S .

**H**AS inter salices vacuâ projectus in umbrâ,  
 Dum placidæ spirant auræ, pronisque susurrat  
 Flumen aquis, miseros Sarni meditabor amores:  
 Utque suo lacrymans de nomine fecerit amnem,  
 Has inter salices referam projectus in umbra.  
 Tu mihi, seu veteres miraris Tibridis arcæ,  
 Seu jam Pausilipi lætis in collibus erras,  
 Annue, Mænaliæ non aspernatus avenam.  
 Ipse tibi ( nisi fata vident ) incognita mensus  
 Æquora, & optata quondam tellure potitus  
 Tercentum Hadriaco deducam è littore puppes,  
 Certantes cursu puppes, ostroque decorus  
 Victorî pretium statuam, & nova munera ponam  
 Stans celso in scopulo, ac notas procul ære ciebo.  
 Nunc verò, Cervine, humilem ne despice musam.  
 Namque olim gelido fessus successerat antro  
 Sarnus, & argutis complebat saxa querelis,  
 Lyriopen frustra per deviâ rura sequutus,  
 Lyriopen, qua nec melior quæ flecteret arcus,  
 Nec fuit intactâ præstantior altera formâ.  
 Viderat hanc malefanus amans sub valle jacentem,  
 Ut fortè acclivis gremio confederat herbæ,  
 Viderat, & subitum defecta per ossa furorem  
 Corripiens, tacitoque dolos in pectore versans  
 Explorabat iter, facileisque ad furta latebras.  
 Illa ubi se visam agnovit, jam conscia fraudis  
 Erubuit, totosque repente expalluit artus:

Atque

Atque exosa virum, & volucri perniciōr Euro  
 Præruptos superat montes, & inhospita lustra.  
 At Sarnus, quanquam & senio genua ægra labant, &  
 Diffugiens virgo saltus evaserat altos,  
 Lyriopen tamen insequitur, spe captus inani.  
 Quem postquam invalido sensit confidere cursu,  
 Aëriis assueta jugis, & credita certæ  
 Nympha fugæ, summâ è speculâ se ostentat amanti :  
 Brachiaque enudat puro candore recentes  
 Excessura nives, quas néc violaverit æstus.  
 Interea impatiens exuritur acrius heros :  
 Ac veluti arentes si quando decidit ignis  
 In stipulas, rapidæ crescunt per pabula flammæ,  
 Non aliter majora senex incendia pascit.  
 Quid faciat ? sentit gravius caluisse medullas,  
 Et defessa novo succumbere membra labori.  
 Quid faciat ? duræ superanda cacumina rupis  
 Prospicit ; accensoque trahens suspiria corde,  
 Incusat deserta loci ; quo candida virgo,  
 Et sperata vocant solatia : tum furit amens,  
 Affectatque viam, & cursu nemora avia transit.  
 Jamque alaci propior Nymphæ suspirat, & eheu  
 Gaudia nequicquam vîsus sperare, quid, inquit,  
 Ocyor effugias ? neque enim indulsisse precanti  
 Te modo poeniteat, cui sit mea forma pudori.  
 Me quoque ( si quid id est ) Nerei pulcherrima proles  
 Deperit Eurynome, quæ largo nectaris haustu,  
 Et latis pelagi campis donaret amantem.  
 Illa tamen fugitura, senem ridebat anhelum :  
 Dum se proripiens, studioque intenta ferarum  
 Quæsivit socias obscurò tramite Nymphas.  
 Verum ubi deceptos cognovit Sarnus amores,

In felix

## 34 J O H . B A P T . A M A L T H E I

Infelix ( quid enim tanto supereesse dolori ? )  
Ingentemque dedit gemitum, & divertit ad antrum,  
Vastum immane antrum, clausumque horrentibus umbris.  
Illic sollicito cautes plangore replebat,  
Lyriopen cum se è magno Sol gurgite tollit,  
Lyriopen sub nocte querens atque irrita vota.  
Ah quoties lamenta leves jaetavit ad auras,  
Quid lucem moror invisam ? quin vita querentem  
Deseris ? & tantos mavis abrumpere luctus ?  
Ah quoties laeto spoliati gramine colles,  
Convallesque cavæ, circumque sonantia saxa,  
Et volucres vario geminarunt gutture questus !  
Illum Naiades raucis flevere sub undis :  
Illum etiam moestos deploravere per agros  
Exanimes Nymphæ, desolatumque ululatu  
Implevere nemus : viduataque frondibus arbos  
Aruit, & nullæ silvas coluere Napææ,  
Mox exhausta senis consumptaque lumina fletu  
In fontes lacrimarum abeunt : tum corpore toto  
Liquitur, & vasto tandem diffunditur antro :  
Et vada jam placido percurrit flumine Sarnus.

## E C L O G A X.

### S I L I S.

P Rævius Eoo fulgebat Lucifer ortu,  
Et matutinâ resonabant alite silvæ,  
Cum nondum orta dies incerta crepuscula cœli  
Paulatim solvit, magnoque è gurgite tollens  
Phœbus equos jamjam pallentia sidera condit.  
Tum primum ecce Silis liquidis sese extulit undis

Ingentes

Ingentes humeros glauco velatus amictu,  
 Centum cui vitreis famulantur Naiades urnis :  
 Pars violam, & vario texunt vaccinia cultu,  
 Candidaque ambrosio perfundunt membra liquore :  
 Pars etiam aurato deducunt stamine fila,  
 Aut saturant Tyrio Milesia vellera succo,  
 Cymodoce, Xanthoque, Thoeque, & cœrula Dryme,  
 Atque Ephyre, atque Hyale, flavisque Arethusa capillis.  
 Inter quas experta novos Galatea hymenæos  
 Enitet, & molli componit lilia musco,  
 Aut pingit nitidis baccata monilia gemmis.  
 In medio Silis undanti late imperat amni :  
 Cui torvam astringunt argentea cornua frontem,  
 Centenique fluunt herboso è pectore rivi.  
 Ille altâ sub rupe jubet consistere circum  
 Flumina ; quo jussu cursus frænantur aquarum,  
 Et ponunt taciti crepitantia flamina venti.  
 Ipse autem canit, ut nascentis semina mundi  
 Acciperent diversa suis exordia causis :  
 Utque olim induerent primas animalia formas.  
 Tum quæ vis montes, & cinctas mœnibus urbes  
 Concutiat, vastique agitat tumida æquora ponti.  
 Tum miserum Alcyonem, & cari conjugis umbras,  
 Demersamque refert mediis in fluctibus Hellen.  
 His infelices adjungit Adonidis ausus.  
 Sæpe Venus puerum, tristi deterrita fato,  
 Ad tenerum amplexum, atque ad dulcia furta vocabat.  
 Parce puer silvis, sunt multa pericula silvis :  
 Huc ades, & mecum placido junge oscula lusu.  
 Ah tibi ne rapidis urantur solibus ora :  
 Neu sævo occurras densis in saltibus apro.  
 Ille tamen plenâ gestans venabula dextrâ,

Nunc

## 36 JOH. BAPT. AMALTHEI

Nunc juga montis obit, nunc horrida lustra peragrat,  
 Sectaturque feras; nec ferâ nocte reversus,  
 Occidit heu rabido demum confossum ab apro.  
 Fleverunt nemora, & spoliati gramine colles:  
 Et Nymphæ insolitis implerunt arva querelis.  
 At Dea fracta metu, & subito exanimata dolore  
 Devolat, indignaque videns jam cæde tepentem  
 Ingemit, & formæ divinum exuta decorem,  
 Corpus inane fovet, terrasque & sidera damnat.  
 Tum canit ut blandus vexisset Ariona Delphin,  
 Et Methymnæos audisset ab æquore cantus.  
 Tum fugientem acri compellat Thesea questu:  
 Perfidè, quid solam deserto in littore amantem  
 Liquisti? nec te morituræ fata puellæ,  
 Nec te conscia mens, nec te perjuria terrent?  
 Flecte ratem male grata hospes; da lintea retro.  
 Nonne vides puppim invito contendere ponto,  
 Nec tantum perferre nefas? & conjugis eheu,  
 Ad mœstasque preces, atque ad pia vota reflecti?  
 Illa quidem male grata hospes te à morte redemit:  
 Illa tibi primos etiam donavit amores.  
 Flecte ratem, cupit insuetis objeccta periclis  
 Per freta cæca sequi fugientem, & brachia tendit  
 Credita jam jam undis, vastumque ingressa profundum.  
 Tum quercus Dodona tuas, Phœboque sacratam  
 Ortygiam, Nilique refert septemplicis ortus.  
 Te quoque, cui Venetum imperium debetur, aperto  
 Deducit pelago: tibi subjicit ultima Thules  
 Littora, & Oceani magnas promittit habendas.  
 Macte animo, Federice, tibi Neptunia regna,  
 Et quæcunque oriens lustrat, quæcunque cadens Sol,  
 Parebunt, orbisque æterna pace quiescat.

Te

Te duce, casta fides cum fecerit otia terris,  
 Aurea restituent concordes sœcula Parcæ :  
 Et præceps tota fugiet discordia mundo.  
 Sponte suâ tum perpetuâ flavesget aristâ  
 Campus, & Hyblæo sudabunt melle genistæ :  
 Atque impune lupis audax miscebitur agna.  
 Ipsæ nectareo distendent lacte capellæ  
 Ubera : & in mediis florebunt lilia dumis.  
 Ipse rubus passim miti se vestiet uva ;  
 Assyriæque salix pinguescat germine myrræ.  
 Tum vero placido sternentur cœrula fluctu.  
 Nec pelago abruptas horrebit nauta procellas,  
 Cyaneas etiam cautes, Scyllæaque saxa  
 Percurrent tuto volitantes remige puppes.  
 Felices tali rerum sub principe gentes ;  
 Tuque adeo felix tanto pro munere princeps.  
 Quid casum Phaëtonis, & horrida vincula narrem  
 Andromedes ? Thamyrimve, suo qui orbatus honore  
 Musarum quondam ultrices cognoverit iras ?  
 Omnia, quæ Adriacis Proteus cantarat in antris,  
 Forte ut Carpathio cessisset ab æquore vates.  
 Ille canit : plausum ingeminant lætæ undique ripæ,  
 Vicinumque nemus ; donec se fluminis alveo  
 Condidit, & pronos cursus emisit aquarum.

M. HIERONYMI VIDÆ  
 DAPHNIS.  
 E C L O G A XI.

LYCIDAS.

AMYNTAS.

**A**bsentem Daphnini Lycidas, & pulcher Amyntas,  
 Pastores ambo, pueri ambo, ad Tybridis undam  
 Flebant, & querulo mulcebant flumina cantu.  
 Dicite, vos Musæ, & juvenum memorate querelas ;  
 Dicite : nam motas ipsas ad carmina cautes,  
 Et requiesce suos perhibent vaga flumina cursus.  
 Incepit Lycidas, Lycidæ nam cedit Amyntas :

Lyc. Has ô qui saltem voces tibi ventus ad aures,  
 Daphni, ferat, nostrum, Daphni, absens nosce dolorem,  
 Nunc seu te immemorem nostri, pecorisque relictæ  
 Oblitum patria arva juvant, & pascua tantum  
 Tusca tibi cordi Latii pro pinguibus agris,  
 Antiqui Latii, & pro flavo Tyberino  
 Dilecti ripas formosas accolis Arni ;  
 Seu tibi (quando urgent sic Divum tristia iussa)  
 Sæpe animo occurrit quam pinguia li ueris arva,  
 Dumque acrem frustra querens lenire dolorem  
 Secretos lucos solus, secreta pererrans  
 Littora, ad hos coeli convertis lumina traectus,  
 Et tacitus tecum dicis, Mea gaudia tellus  
 Illa habet, illa meos longè plaga servat amores.

Daphni,

Daphni, tuos abitus nostris in montibus ursi  
 Informes gemuere: feræ lustra alta tenentes  
 Auditæ aëreis in verticibus ululasse.  
 His passim audiri læta olim carmina in oris,  
 Carminaque & dulces pastorum semper amoreſ.  
 Nunc circum filet omnis ager, nunc pascua muta:  
 Hæc subito liquit tecum omnis rura voluptas.  
 Hic aderas, aderant ſimul & fluvialia Nymphæ  
 Numina, Nympharumque timor per littora Fauni:  
 Hinc abes, hinc absunt ſimul & fluvialia Nymphæ  
 Numina, Nympharumque timor per littora Fauni.  
 Formosi hi tecum montes, formoſaque prata:  
 Te fine deformes montes, deformia prata.  
 Non horti flores apibus, non fidera rorem.  
 Sufficiunt, gelidæ non linquunt arva pruinæ.  
 Vix paucas æger deferto in littore Amyntas  
 Dicit oves, paucas defertâ in rupe capellas  
 Horrentique rubo, & carice pascit acutâ.  
 Ah puer infelix! cui tu dum pascua cara  
 Commendas & oves fido, atque armenta recedens,  
 Et tristis, dilecte vale, vix inquis, Amynta,  
 Nil potuit contra præ largo reddere fletu.  
 Illum, singultus dum non compescere longos,  
 Aut lachrymas valet, aprico de colle juvencæ  
 Fluminis immemores & graminis admiratæ  
 Indigno flentis pueri doluere dolore.  
 Sic Lycidas: ſubito ſic deinde ſequutus Amyntas.

AMYN. Illa luce & oves fluvios, ac pabula læta  
 Fugere, & saturis ipſi præſepibus ultrò  
 Abſtinuere boves clausi foenilibus, & vos  
 Tardius ah miserae! rediiftis monte, capellæ.

D

Ut

Ut fontes sine aquis, vario ut sine gramine prata,  
 Ut sine Sole dies, Lunæ ut sine lumine noctes,  
 Hæc ita mœsta suo squalet sine Daphnide tellus.  
 Daphni, decus ruris, pastorum, Daphni, voluptas,  
 Quæ modo surgebant tuguri tua culmina ad auras  
 Tybridis in ripâ, nunc semifructa videntur,  
 Ipsa etiam absentem dominum deserta morari.  
 Illac præteriens subsistit saepe viator,  
 Sive viam carpit pedibus, seu puppe per undas,  
 Et secum admirans: Quondam hæc felicia tecta,  
 Felices, inquit, horti, cum Daphnis adeffet:  
 Nunc infelices horti, infelia tecta.  
 Parcite, custodes pecoris, cohibete capellas  
 O vos, ô cohibete & oves, hædosve petukos,  
 Ne vites carpant immitti dente novellas,  
 Quas posuit modo discedens hinc ordine Daphnis,  
 Et dixit, Tamen ista mei monumenta manebunt:  
 Crescetis vites, vobiscum confita crescat  
 Ulmus, & exilii nostri numerabitis annos.  
 Sic ait, & dulci sese divellit ab ora  
 Invitus, tristisque: tamen subsistit, & hæret  
 Hic illic, colles & respiciebat amatos,  
 Optabatque oculos in carâ linquere terrâ.  
 Pastores aderant, omnes de collibus illum  
 Spectabant mœsti procul, ac discedere flebant.  
 At tu vive memor saltem, pulcherrime, nostri,  
 Vive tui memor ô Lycidæ, pulcherrime Daphni.  
 Forsitan & si quis caelo Deus aspicit alto  
 Pastorum curas, nostri miserebitur olim  
 Mitior, & caris reddet te protinus oris.

Sic

Sic pueri paribus se dum solantur avenis,  
 Illorum serâ Tybris sub nocte querelas  
 Miratus flavum vitreis caput extulit antris :  
 Et vos ex imo gemuistis, Naiades, amne.

## E C L O G A XII.

## C O R Y D O N.

**H**O C mihi vos etiam Nymphæ concedite carmen  
 Seriades, vestris veniens quod nuper ab oris  
 Cantabat Corydon, gratâ dum texit in umbrâ  
 Fiscellam, amissi gregis immemor ; illicet illum  
 Cantantem nostri densâ cinxere coronâ  
 Pastores admirati, Faunique sequuti,  
 Et vos vicinis, Dryades, properastis ab antris.  
 Nam Satyrum bifores audentem inflare cicutas  
 Ipsum dum cantu vocat in certamina Phœbum  
 Nunc canit, & demptâ vivos cute detegit artus  
 Cernenti, sparsæ rorabant sanguine silvæ.  
 Narcissi nunc formosi meditatur amorem :  
 Ah ! puer infelix, quis te novus error adegit ?  
 Aut nihil est quod amas, & fallax ludit imago,  
 Aut tibi tute ignis, teque ardes nescius ipsum.  
 Tū tamen hanc tenero malesanus pectore curam  
 Noctes atque dies versas : tibi flamma medullis  
 Altius insedit, seque ossibus implicat ignis.  
 Parcite fallaces puero jam parcite lymphæ.  
 Ipsæ etiam parcunt Nymphæ, quas lusit amantes ;  
 Ipsi etiam parcunt Juvenes, quos torsit amantes  
 Durus, communis Divûm puer, atque hominum fax.

## 42 M. H I E R O N Y M I V I D A E

Illum etiam montesque feri, desertaque late  
 Fleverunt nemora, umbrosisque in vallibus amnes,  
 Dum jacet in ripis, nec fonte recedit amato,  
 Et moriens curâ extremum tabescit inani.  
 Hæc felix Corydon: dehinc addit Ariona cantu  
 Insignem: resonant omnes & Ariona saltus,  
 Et nemora, & montes, atque umbrosæ convalles:  
 Vos quoque muscosi meministis Arionis amnes.  
 Quæ vos Nereïdes tenuit mora? nam properarunt  
 Æquoris excitum pecus omne, armentaque Protei,  
 Et curvam phocæ informes cinxere carinam,  
 Cum nautæ insidiis sibi fata instantia cernens  
 Extremum caneret tristis solatia lethi:  
 Qualis Mæandri queritur moriturus ad undam  
 Canus olor, qualis rauci per stagna Caystri.  
 Vos tamen ô tandem traxerunt carmina, Nymphæ  
 Nereïdes, tutam cum per vada salsa secaret  
 Supposito delphine viam, in patriamque rediret  
 Dulce etiam nunc fila movens testudinis aureæ.  
 Quid caneret, nisi cœruleos per cœrula Divos?  
 Oceanum in primis, cuius sanctissima ubique  
 Jura tremunt undæ, tumidique sub æquore fluctus,  
 A quo principium deducunt omnia passim  
 Flumina sub terram occulto labentia tractu,  
 Mox eadem longo redeunt exercita cursu.  
 Addit ut & cœlum, cœlique nitentia tecta  
 Contemnat, liquidasque domos præponat Olympo  
 Detentus blandis amplexibus Amphitrites.  
 Interea vitrea auricomus depascitur igni  
 Arva die, vitreo Sol nocte expectat in antro  
 Hospitis Oceani mensis exceptus amicis.

I

Interea

Interea roseis satura ad præsepio glaucæ  
 Sufficiunt, & flumen equis, & pabula Nymphæ  
 Divina, ambrosiamque, & Pæoniam panacæam.  
 Cætera dehinc etiam canit alti numina ponti,  
 Cum Nero Glaucoque tridentiferum Neptunum.  
 Addit Nereïdes centum: centum addit amores  
 Nereïdum: toto responsant æquora ponto.  
 Huc ades ô Galatea: ades huc Pisæa Arethusa,  
 Nerine Galatea, argentea Neptunine.  
 Restabat, nautam infandum quæ poena sequuta  
 Dicere, quos laqueos tulerit, quos perfidus ignes,  
 Pergebatque canens Corydon, dum cuncta referret.  
 Sed non Sicanium non ille oblitus Amyntam,  
 Omnes quem puerum pastores protinus, omnes  
 Depereunt nymphæ, nympharum semper amores  
 Ille habet, ille ipsas urit sævo igne Napæas.  
 Huc ades, ô formose puer: tibi carmina amantes  
 Grata canunt Musæ: tibi magno captus amore  
 Ipse suos numeros addit, sua munera Apollo,  
 Eque sua viridem texit tibi fronde coronam.  
 Hæc Corydon, Tyberi nuper mirante, canebat:  
 Cætera pastores meminere ad flumina Mellæ.

## E C L O G A XIII.

## N I C E.

**C**Onjugis amissi fenus pulcherrima Nice  
 Flebat, & in solis errabat montibus ægra,  
 Atque homines fugiens moesto solatia amori  
 Nulla dabat, luctu sed cuncta implebat amaro  
 Flens noctem, flens lucem: ipsi jam funera montes  
 Lugebant Davali: Davalum omnia respondebant.  
 Interea Nymphæ Damon correptus amore,  
 Vicina ut paucas servabat rupe capellas,  
 Omnibus ah! demens sylvis errabat, & agris,  
 Atque hæc nequicquam vacuas jactabat ad auras:

O quis te nostris oculis, pulcherrima virgo,  
 Objecit Deus, & visam te protinus idem  
 Eripuit nobis, fævo ut consumeret igni?  
 Sive Dea es nemorum, certe Dea! sive tibi alta  
 Undarum dominæ parent maris æquora & amnes,  
 Illa meo nunquam facies de pectore abibit.  
 Illam vos etiam mecum discetis amare,  
 Intonsi montes, vos umbriferæ convalles.  
 Sive greges inter captabo frigus & auram,  
 Flumina seu propter salices in valle putabo,  
 Aut agitans instabo aliud quodcunque, tibi ante  
 Carmina pauca canam, & te pectore suspirabo,  
 Toto unam te corde: prius dediscet amare  
 Gramina ovis, nemora alta feræ, vaga flumina pisces,  
 Quam tua de nostris vellatur cura medullis.  
 Si nec erunt Fauni, si nec mihi Oreades ullæ,

Montibus

Montibus & solis dicam mea carmina sylvis :  
 Ardebut sylvae, montes ardebitis aeti.  
 Quo fugis? ah! Davalus non haec post funera curat :  
 Siste gradum, atque oculis rursum, Dea, reddere nostris.  
 O tibi si tantum haec silvae, si mollia prata  
 Haec placeant, libeatque his mecum in vallis esse,  
 O has felices sylvas! felicia prata!  
 Formosas nimium sylvas! formosaque prata!  
 Formosas valles! sed tu formosior ihis!  
 Conjugis hic mecum, dum carpent grata capellæ  
 Gramina, facta canes ingentia, ut hostibus unus  
 Obstiterit saepe, & prostratas ceperit urbes,  
 Utque duces victos tot magnis ceperit ausis  
 Una eademque die, tecum omnia quæ modo montes  
 Cantabant ipsi, Davalum omnia respondebant.  
 Alma suum hic tecum non dignetur Adonin  
 Flere Venus, tecumque suas sociare querelas.  
 Ipse autem interea juxta projectus in herba  
 Insignem calathum tibi junco & vimine textam,  
 Et totum miris pergama variare figuris.  
 Primus erit labor hic, primum hic tamen argumentum  
 Conjugis extinti funus, miserabile funus,  
 Dum queritur se non bello, non fortibus armis  
 Oppetere, at lento paulatim cedere morbo.  
 Pallor erit gelido juvenis morientis in ore,  
 Et sensim placida cludentur lumina morte.  
 Addua aquas juxta fundet moestissimus urna,  
 Et circumfusæ tundent sua pectora Nymphæ  
 Spargentes stratis violam, moestumque Hyacinthum.  
 Exanimum circumstabunt regesque ducesque  
 Moresentes, largoque undabunt omnia fletu.

46 M. H I E R O N Y M I V I D A E

Parte alia heroum multis comitantibus addam  
Longum iter ingressam te, si quod numen eunti  
Conjugis annuerit cari producere fata.  
Quos non interea Divos in vota vocabis?  
Quas non muneribus cumulabis grandibus aras?  
Omnes fed frustra Divos in vota vocabis:  
Muneribus frustra cumulabis grandibus aras.  
Ibis multa metu suspensa: è montibus altis  
Occurrent Dryades, & Oreades admiratæ,  
Nympharumque tibi passim chorus omnis eunti  
Floribus è variis viridique è fronde coronas  
Intexent, sœvi solatia vana doloris.  
Cum verò extinctum Davalum sœvissimus aures  
Nuncius implebit, votis nihil omnibus actum,  
Pallentem heu! subito faciam, ingentique dolore  
Exanimem labi: stabunt circum ilicet omnes  
Collapsam famulæ, gelidamque à flumine lympham  
Rorabunt, gelidâ vix tu revocabere lymphâ.  
Quos ah! dein gemitus, quæ tum lamenta referrem,  
Si possent gemitus junco, aut lamenta referri?  
Crudeles Divos, crudelia fata vocares,  
Crudelem terram, quod non sponte hisceret, & non  
Te subito orantem miserata hauriret hiatu,  
Haud aliter tantum finiri posse dolorem.  
Etrusci montes, testes vos omnia scitis:  
Omnia vos mœstæ lamenta audistis, & ipsi,  
Dum miseret, celsis de verticibus ululastris.  
Nam mihi cuncta senex puero prædixerat olim,  
Dum moriens teneros commendat Tityrus agnos.  
Sic Damon, simul ibat: eum videre vagantem,  
Atque hæc nequicquam sera sub nocte canentem

Carmina

Carmina nimboſis ſtabulantes montibus urſi,  
Montibus & ſylviſ, ac littoribus defertiſ.  
Illa autem prærupta legens atque invia ſaxa  
Nunc hac nunc illac fugere indeprenſa, nec uſquam  
Apparere freti hibernâ ſurdior undâ.  
Illa vos, amnes, vos ô, genus amnibus unde,  
Siftite, correptamque domum deducite, Nymphæ:  
Sola dies poterit tantum lenire dolorem.

S E-



SELECTA  
**P O E M A T A**  
**I T A L O R U M.**

## P A R S II.

HIERONYMI FRACASTORII  
**SYPHILIS, sive MORBUS GALLICUS.**

Ad PETRUM BEMBUM.

L I B. I.

**Q**UI casus rerum varii, quæ semina morbum  
 Infuetum, nec longa ulli per sæcula visum  
 Attulerint: nostra qui tempestate per omnem  
 Europam, partimque Afriæ, Libyæque per urbes  
 Saeviit: in Latium vero per tristia bella  
 Gallorum irrupit, nomenque à gente recepit:  
 Necnon & quæ cura, & opis quid comperit usus,  
 Magnaque in angustis hominum solertia rebus,  
 Et monstrata Deûm auxilia, data munera coeli,  
 Hinc canere, & longe secretas quererere causas  
 Aëra per liquidum, & vasti per sidera Olympi  
 Incipiam: dulci quando novitatis amore  
 Correptum, placidi Naturæ suavibus horti  
 Floribus invitant, & amantes mira Camœnæ.  
 Bembe, decus clarum Aufoniæ, si forte vacare  
 Consultis Leo te à magnis paulisper, & alta

Rerum mole sinit, totum qua sustinet orbem;  
 Et juvat ad dulces paulum secedere Musas:  
 Ne nostros contemne orsus, medicumque laborem,  
 Quicquid id est, Deus hæc quondam dignatus Apollo est?  
 Et parvis quoque rebus inest sua saepe voluptas.  
 Scilicet hac tenui rerum sub imagine multum  
 Naturæ fatique subest, & grandis origo.

Tu mihi, quæ rerum causas, quæ sidera noscis,  
 Et coeli effectus varios, atque aëris oras,  
 Uranie (sic dum puro spatialis Olympo,  
 Metirisque vagi lucentes ætheris ignes,  
 Concentu tibi divino cita sidera plaudant)  
 Ipsa adest, & mecum placidas, Dea, lude per umbras,  
 Dum tenues auræ, dum myrtea silva canenti  
 Aspirat, resonatque cavis Benacus ab antris:  
 Dic, Dea, quæ causæ nobis post sæcula tanta  
 Insolitam peperere luem? num tempore ab illo  
 Vecta mari occiduo nostrum pervenit in orbem,  
 Ex quo lecta manus solvens de littore Ibero  
 Ausa fretum tentare vagique incognita ponti est  
 Aequora, & orbe alio positas perquirere terras?  
 Illic namque ferunt æterna labe per omnes.  
 Id morbi regnare urbes, passimque vagari  
 Perpetuo coeli vitio, atque ignoscere paucis.  
 Commercine igitur causa accessisse putandum est  
 Delatam contagem ad nos, quæ parva sub ipsis  
 Principiis, mox & vires, & pabula sensim  
 Suscipiens, se in terras diffuderit omnes?  
 Ut saepe in stipulas cecidit quum forte favilla  
 De face, neglectam pastor quam liquit in arvo,  
 Illa quidem tenuis primum, similisque moranti  
 Incedit; mox ut paulatim increvit eundo,

Tollitur,

Tollitur, & yictrix messem populatur, & agros,  
 Vicinumque nemus, flamasque sub ætlera jaætat:  
 Dat sonitum longè crepitans Jovis avia sylva;  
 Et cœlum latè circum, campique reluent.

At verò, si ritè fidem observata merentur,  
 Non ita censendum: nec certè credere par est  
 Esse peregrinam nobis transque æquora vectam  
 Contagem; quoniam in primis ostendere multos  
 Possimus, attac̄tu qui nullius hanc tamen ipsam  
 Sponte suâ sensere luem, primique tulere.  
 Præterea & tantum terrarum tempore parvo  
 Contages non una simul potuissent obire.  
 Aspice per Latii populos, quique herbida Sagræ  
 Pasqua, & Ausonios saltus, & Iapygis oræ  
 Arva colunt: specta Tyberis quâ labitur, & quâ  
 Eridanus centum fluviis comitatus in æquor,  
 Centum urbes rigat, & placidis interfluit undis.  
 Uno nonne vides ut tempore pestis in omnes  
 Sæviit? ut fortè pariter transegimus unam?  
 Quinetiam externos eadem per tempora primum  
 Excepisse ferunt: nec eam cognovit Ibera  
 Gens prius, ignotum quæ scindere puppis æquor  
 Ausa fuit, quâm quos disterminat alta Pyrene,  
 Atque freta, atque Alpes cingunt, Rhenusque bicornis;  
 Quâm reliqui, quos lata tenet gelida ora sub Arcto.  
 Tempore non alio, Poeni, sensistis, & omnes  
 Qui lætam Ægyptum metitis foecundaque Nilo  
 Arva, & palmiferæ sylvas tondetis Idumes.  
 Quæ quum sic habeant se, nempe altius isti  
 Principium labi, rerumque latentior ordo,  
 (Ni fallor) graviorque subest & major origo.

Principio quæque in terris, quæque ætherè in alto,  
 Atque mari in magno, Natura educit in auras.  
 Cuncta quidem nec forte unâ, nec legibus iisdem  
 Proveniunt: sed enim quorum primordia constant  
 E paucis, crebrò ac paffim pars magna creantur.  
 Rarius ast alia apparent, & non nisi certis  
 Temporibusve locisve; quibus violentior ortus,  
 Et longè sita principia; ac nonnulla, priusquam  
 Erumpant tenebris & opaco carcere noctis,  
 Mille trahunt annos, spatiofaque sœcula poscunt.  
 Tantâ vi coëunt genitalia semina in unum.

Ergo & morborum quoniam non omnibus una  
 Nascendi est ratio, facilis pars maxima visu est,  
 Et faciles ortus habet & primordia præsto:  
 Rarius emergunt alii; & post tempore longo  
 Difficiles causas, & inextricabile fatum  
 Et serò potuere altas superare tenebras.  
 Sic elephas sacer Ausoniis incognitus oris,  
 Sic lichen latuere diu: quibus accola Nili  
 Gens tantum regioque omnis vicina laborat.

De genere hoc est dira lues, quæ nuper in auras  
 Exiit, & tandem fese caligine ab atrâ  
 Exemit, duroisque ortus & vincula rupit.  
 Quam tamen (æternum quoniam dilabitur ævum)  
 Non semel in terris visam, sed sœpe fuisse,  
 Ducendum est; quanquam nobis nec nomine nota  
 Haec tenus illa fuit: quoniam longæva vetustas  
 Cuncta situ involvens, & res & nomina delet;  
 Nec monumenta patrum seri videre nepotes.

Oceano tamen in magno sub sole cadente,  
 Quà misera inventum nuper gens incolit orbem,  
 Paffim oritur; nullisque locis non cognita vulgo est.

Usque

Usque adeò rerum causæ, atque exordia prima,  
 Et cœlo variare & longo tempore possunt :  
 Quodque illic fert sponte aër, & idonea tellus,  
 Huc tandem annorum nobis longa attulit ætas.  
 Cujus forte suo si cunctas ordine causas  
 Nosse cupis, magni primum circumspice mundi  
 Quantum hoc infecit vitium, quot adiverit urbes.  
 Quumque animadvertis, tam vastæ semina labis  
 Esse nec in terræ gremio, nec in æquore posse,  
 Haud dubiè tecum statuas reputesque necesse est,  
 Principium sedemque mali consistere in ipso  
 Aëre, qui terras circum diffunditur omnes ;  
 Qui nobis sese insinuat per corpora ubique,  
 Suetus & has generi viventum immittere pestes.  
 Aër quippe pater rerum est, & originis auctor.  
 Idem saepe graves morbos mortalibus affert,  
 Multimodè natus tabescere corpore molli,  
 Et facile affectus capere, atque inferre receptos.  
 Nunc verò quonam ille modo contagia traxit,  
 Accipe : quid mutare queant labentia secla.

In primis tum sol rutilus, tum sidera cuncta  
 Tellurem, liquidasque auras, atque æquora ponti  
 Immutant agitantque : utque ipso sidera cœlo  
 Mutavere vicem, & sedes liquere priores,  
 Sic elementa modis variis se grandia vertunt.  
 Aspice ut, hibernos rapidos ubi flexit in Austrum  
 Phœbus equos, nostrumque videt depressior orbeis,  
 Bruma riget, duratque gelu spargitque pruinâ  
 Tellurem, & gelidâ glacie vaga flumina sistit.  
 Idem, ubi nos Cancro propior spectavit ab alto,  
 Urit agros ; arent nemora & sipientia prata,  
 Siccaque pulvereis ætas squalescit in arvis.

Nec dubium, quin & noctis nitor, aurea Luna,  
 Cui maria alta, omnis cui rerum obtemperat humor;  
 Quin & Saturni grave sidus, & æquior orbi  
 Stella Jovis; quin pulchra Venusque, & Martius ignis,  
 Ac reliqua astra etiam mutent elementa, trahantque  
 Perpetuum, & latè magnos dent undique motus.  
 Præcipuè sedem si quando plurima in unam  
 Convenere, suo vel multùm devia cursu  
 Longè alias tenuere vias, hæc scilicet annis.  
 Pluribus, & rapidi post multa volumina cœli  
 Eveniunt, Diis fata modis volventibus istis.  
 Ut verò evenisse datum est, numerumque diesque  
 Exegere suos, præfixaque tempora fatis;  
 Proh quanta aërios traëtus, falsa æquora quanta,  
 Telluremque manent! alibi quippe omnia latè  
 Cogentur spatia in nubes; cœlum imbribus omne  
 Solvetur; summisque voluti montibus amnes  
 Præcipites secum sylvas, secum aspera faxa,  
 Secum armenta trahent: medius pater impete magno  
 Aut Padus, aut Ganges super & nemora alta domosque  
 Turbidus, æquabit pelago freta lata sonante.  
 Æstates alibi magnæ condentur, & ipsæ  
 Flumina speluncis flebunt arentia Nymphæ.  
 Aut venti cuncta invertent, aut obice clausi  
 Excutient tellurem imam, & cum turribus urbes.  
 Forsitan & tempus veniet, poscentibus olim  
 Naturâ fatisque Deûm, quum non modo tellus  
 Nunc culta, aut obducta mari, aut deserta jacebit:  
 Verum etiam Sol ipse novum (quis credere possit?)  
 Curret iter, sua nec per tempora diffluet annus:  
 Ast insueti æstus, insuetaque frigora mundo  
 Insurgent; & certa dies animalia terris

Mon-

Monstrabit nova ; nascentur pecudesque feræque  
 Sponte suâ, primâque animas ab origine sument.  
 Forsitan & majora audens producere Tellus  
 Cœumque, Enceladumque feret, magnumque Typhoëa,  
 Ausuros patrō superos detrudere cœlo,  
 Convulsamque Ossam nemoroſo imponere Olympo.  
 Quæ quum perspicias, nihil eſt cur tempore certo  
 Admirere novis magnum marcescere morbis  
 Aëra, contagesque novas viventibus ægris  
 Sidere sub certo fieri, & per ſecula longa.

Bis centum fluxere anni, quum flammea Marte  
 Lumina Saturno tristi immiscente, per omnes  
 Auroræ populos, per quæ rigat æquora Ganges,  
 Insolita exarsit febris, quæ pectore anhelo  
 Sanguineum ſputum exagitans (miferabile viſu)  
 Quartâ luce frequens fato perdebat acerbo.  
 Illa eadem Affyriæ gentes, & Persidos, & quæ  
 Euphratem, Tigrimque bibunt, poſt tempore parvo  
 Corripuit, ditesque Arabas, mollemque Canopum ;  
 Inde Phrygas, inde & miferum trans æquora vecta  
 Inficit Latium, atque Europâ ſæviit omni.

Ergo age jam mecum, ſemper ſefe æthera circum  
 Volventem, Superūmque domos, ardentiaque aſtra  
 Contemplare ; animumque agitans per cuncta, require  
 Quis ſtatus illorum fuerit, quæ signa dedere  
 Sidera, quid noſtris cœlum portenderit annis :  
 Hinc etenim tibi forte novæ contagis origo  
 Omnis, & eventus tanti via prima patescet.  
 Aspice candentes magni quæ Cancer Olympi  
 Excubat ante fores, & brachia pandit aperta.  
 Hinc diræ facies, hinc ſe diversa malorum  
 Ostendunt portenta : una hac ſub parte videbis

## 60 HIERON. FRACASTORII

Magna coisse simul radiis ardentibus astra,  
Et conjuratas sçarsisse per aëra flamas;  
Flamas, quas longè tumulo Sirenis ab alto  
Prospiciens senior vates, quem dia per omnes  
Cœlicolūmque domos duxit, docuitque futura  
Uranie: miseræ, inquit, defendite terras  
O Superi, insolitam video per inania ferri  
Illuviem, & magnos cœli tabescere tractus.  
Bella etiam Europæ miseræ, bella impia, & agros  
Ausoniæ passim currentes sanguine cerno.  
Dixit; & illa etiam scriptis ventura notavit.

Mos Superum est, ubi secla vagus Sol certa peregit,  
Ab Jove decerni fata, & cuncta ordine pandi,  
Quæcunque eventura manent terrasque polamque.  
Quod tempus cum jam nostris venientibus annis  
Instaret, rerum summus fator, & Superum rex  
Jupiter, acciri socios in rebus agendis  
Saturnum Martemque jubet: bipatentia Cancer  
Limina portarum referat, Diisque atria pandit.  
Conveniunt, quibus est fatorum cura gerenda.  
Impiger ante alios flammis ferroque coruscans  
Bellipotens Mavors, animis cui prælia, & arma,  
Vindictæque manent, & ovantes sanguine cædes.  
Post placidus curru invectus rex Jupiter aureo  
Insequitur (ni fata obstant) pater omnibus æquus.  
Postremus, longaque viâ tardatus & annis,  
Falcifer accedit senior; qui haud inimemor iræ  
In natum veteris, nato & parere recusans,  
Sæpe etiam cessit retro, & vestigia torfit,  
Multæ minans, multumque animo indignatus iniquo.  
Jupiter at folio ex alto, quo se solet uno  
Tollere, percenset fata, & ventura resolvit,

Multum infelis miserans incommoda terræ,  
 Bellaque, fortunasque virūm, casuraque rerum  
 Imperia, & prædas, adapertaque limina morti:  
 In primis ignota novi contagia morbi;  
 Morbi, qui humanæ nullâ mansuetat opis vi.  
 Assensore Dei reliqui: concussus Olympus  
 Intremuit, tactusque novis defluxibus æther.  
 Paulatim aërii traclus & inania lata  
 Accepere luem, vacuasque insuetus in auras  
 Marcor iit, cœlumque tulit contagia in omne.  
 Sive quod ardenti tot concurrentibus astris  
 Cum sole, è pelago multos terraque vapores  
 Traxerit ignea vis, qui misti tenuibus auris,  
 Correptique novo vitio, contagia visu  
 Perrara attulerint: aliud sive æthere ab alto  
 Demissum latè aërias corruperit oras.

[cœlum,

Quamquam animi haud fallor, quid agat, quove ordine  
 Dieere, & cunctis certas perquirere causas,  
 Difficile esse; adeo interdum per tempora longa  
 Effectus trahit; interdum (quod fallere possit)  
 Miscentur fors, & varii per singula casus.

Nunc age, non id te lateat, super omnia miram  
 Naturam, & longè variam contagibus esse.

Solis nam sæpe arboribus fit noxius aër,  
 Et tenerum germen, florumque infecit honorem:  
 Interdum segetem, & sata læta, annique labores  
 Corripuit, scabräque ussit rubigine culmos,  
 Et vitiata parens produxit semina tellus.

Interdum poenas animalia sola dedere,  
 Aut multa, aut certa ex ipsis. Memini ipse malignam  
 Luxuriem vidisse anni, multoque madentem  
 Autumnum perflatum Austro, quo protinus omne

E 4

Capri-

## 62 HIERON. FRACASTORII

Caprigenum pecus è cunctis animantibus unum  
 Corruit. A stabulis lœtas ad pabula pastor  
 Ducebat; tum forte altâ securus in umbrâ  
 Dum caneret, tenuique gregem mulceret avenâ,  
 Ecce aliquam tussis subito irrequieta tenebat,  
 Nec longè via mortis erat; namque acta repente  
 Circum præcipiti lapsu, revomensque supremam  
 Ore animam, socias inter moribunda cadebat.  
 Vere autem (dictu mirum) atque æstate sequenti  
 Infirmas pecudes balantumque horrida vulgis  
 Pestis sebre malâ miserum penè abstulit omne.  
 Usque adeo varia affecti sunt semina cœli,  
 Et variæ rerum species; numerusque vicissim  
 Inter mota subest, interque moventia certus.  
 Nonne vides, quamvis oculi sint pectore anhelo  
 Expositi mollesque magis, non attamen ipsos  
 Carpere tabem oculos, sed sese immergere in imum.  
 Pulmonem? & pomis quamquam sit mollior uva,  
 Non tamen iis vitiatur, at ipsâ livet ab uvâ.  
 Nempe alibi vires, alibi sua pabula defunt:  
 Ast alibi mora certa; nec ipsa foramina multum  
 Non faciunt, hinc densa nimis, nimis inde soluta.  
 Ergo contagum quoniam natura genusque  
 Tam varium est, & multa modis sunt semina miris,  
 Contemplator & hanc, cuius cœlestis origo est:  
 Quæ, siue desueta, ita mira erupit in auras.  
 Illa quidem non muta maris, turbamque natantium,  
 Non volucres, non bruta altis errantia sylvis,  
 Non armenta boum, pecudesve, armentave equorum  
 Infecit, sed mente vigens ex omnibus unum  
 Humanum genus, & nostros est pasta sub artus.  
 Porro homine è toto, quod in ipso sanguine crassum

Et sordens lentore foret, fœdissima primum  
 Corripuit, seſe paſcens uligine pingui.  
 Tali ſe morbus ratione & ſanguis habebant.  
 Nunc ego te affectus omnes, & ſigna docebo  
 Contagis miſeræ: atque utinam concedere tantum  
 Muſa queat, tantumque velit defendere Apollo,  
 Tempora qui longa evolvit, cui carmina curæ,  
 Hæc multas monumenta dies ut noſtra ſupersint.  
 Fortè etenim noſtroſ olim legiſſe nepoteſ,  
 Et ſigna & faciem peſtiſ noviſſe juvabit.  
 Namque iterum, quum fata dabunt, labentibus annis  
 Tempus erit, quum nocte atrâ ſopita jacebit  
 Interitu data: mox iterum poſt ſecula longa  
 Illa eadem exurget, cœlumque aurasque reviset,  
 Atque iterum ventura illam mirabitur ætas.

In primis mirum illud erat, quod labe receptâ,  
 Sæpe tamen quater ipſa ſuum compleverat orbem  
 Luna prius, quam ſigna ſatiſ maniſta darentur.  
 Scilicet extemplo non ſeſe prodiſ apertè,  
 Ut ſemel eſt excepta intus, ſed tempore certo  
 Delitet, & ſenſim vires per pabula captat.  
 Interea tamen inſolito torpore gravati,  
 Sponteque languentes animis & munera obibant  
 Ægrius, & toto ſegnes ſe corpore agebant.  
 Ille etiam ſuus ex oculis vigor, & ſuus ore  
 Dejectus color haud lætâ de fronte cadebat.  
 Paulatim caries fœdiſ enata pudendis  
 Hinc atque hinc invicta locos aut inguen edebat.  
 Tum maniſta magis vitii ſe prodere ſigna:  
 Nam ſimul ac puræ fugiens lux alma diei  
 Cefferaſ, & noctis triftes induixerat umbras,  
 Innatusque calor noctu petere intima ſuetus

Liquerat

Liquerat extre<sup>mum</sup> corpus, nec membra fovebat  
 Obsita mole pigrâ humorum: tum vellier artus  
 Brachiaque, scapulæque, gravi suræque dolore.  
 Quippe ubi per cunctas ierunt contagia venas,  
 Humoresque ipsos & nutrimenta futura  
 Polluerant, natura malum secernere sueta  
 Infectam partem pellebat corpore ab omni  
 Exterius: verum crasso quia corpore tarda  
 Hæc erat, & lentore tenax, multa inter eundum  
 Hærebant membris exanguibus atque lacertis:  
 Inde graves dabat articulis extenta dolores.  
 Parte tamen leviote, magisque erumpere nata,  
 Summa cutis pulsâ & membrorum extrema petebat.  
 Protinus informes totum per corpus achores  
 Rumpebant, faciemque horrendam & pectora foedè  
 Turpabant: species morbi nova: pustula summæ  
 Glandis ad effigiem, & pituitâ marcida pingui:  
 Tempore quæ multo non post adaperta dehiscens,  
 Mucosâ multum fanie taboque fluebat.  
 Quinetiam erodens altè, & se funditus abdens,  
 Corpora pascebat miserè: nam sæpius ipsi  
 Carne suâ exutos artus, squalentiaque ossa  
 Vidimus, & foedo rosea ora dehiscere hiatu, \*  
 Ora, atque exiles reddentia guttura voces.  
 Ut sæpe aut cerasis, aut Phyllidis arbore tristi,  
 Vidi<sup>ti</sup> pinguem ex udis manare liquorem  
 Corticibus, mox in lentum durescere gummi;  
 Haud secus hâc sub labe solet per corpora mucor  
 Diffluere, hinc demum in turpem concrescere callum:  
 Unde aliquis ver ætatis pulchramque juventam  
 Suspirans, & membra oculis deformia torvis  
 Prospiciens, foedosque artus, turgentiaque ora,

Sæpe

Sæpe Deos, sæpe astrâ miser crudelia dixit.  
 Interea dulces somnos, noctisque soporem,  
 Omnia per terras animalia fessa trahebant:  
 Illis nulla quies aderat, sopor omnis in auras  
 Fugerat; iis oriens Aurora ingrata rubebat,  
 Iis inimica dies, inimicaque noctis imago.  
 Nulla Ceres illos, Bacchi non ulla juvabant  
 Munera, non dulces epulæ, non copia rerum;  
 Non urbis, non ruris opes, non ulla voluptas;  
 Quamvis sæpe amnes nitidos, jucundaque Tempe,  
 Et placidas summis quæsissent montibus auras.  
 Diis etiam sparsæque preces, incensaque templis  
 Thura, & divitibus decorata altaria donis:  
 Dii nullas audire preces, donisve moveri.  
 Ipse ego Cœnomanum memini quâ pinguia dives  
 Pasca Sebinâ præterfluit Ollius undâ,  
 Vidisse insignem juvenem; quo clarior alter  
 Non fuit, Aufoniâ nec fortunatior omni:  
 Vix pubescens florebat vere juventæ,  
 Divitiis proavisque potens, & corpore pulchro:  
 Cui studia, aut pernicis equi compescere cursum,  
 Aut galeam induere, & pictis splendescere in armis,  
 Aut juvenile gravi corpus durare palæstrâ,  
 Venatuque feras agere, & prævertere cervos.  
 Illum omnes Ollique Deæ, Eridanique puellæ;  
 Optarunt, nemorumque Deæ, iurisque puellæ;  
 Omnes optatos suspiravere hymenæos.  
 Forsan & ultores Superos neglecta vocavit  
 Non nequicquam aliqua, & votis pia numina movit.  
 Nam nimium fidentem animis, nec tanta timentem,  
 Invasit miserum labes, quâ sævier usquam  
 Nulla fuit, nulla unquam aliis spectabitur annis.

Paulatim

Paulatim ver id nitidum, flos ille juventæ  
 Disperiit, vis illa animi; tum squalida tabes  
 Artus (horrendum!) miseros obduxit, & altè  
 Grandia turgebant foedis abscessibus ossa.  
 Ulcera (proh Divūm pietatem!) informia pulchros  
 Pascebant oculos, & diæ lucis amorem,  
 Pascebantque acri corrosas vulnere nares.

Illum Alpes vicinæ, illum vaga fluminæ flerunt;  
 Illum omnes Ollique Deæ, Eridanique puellæ  
 Fleverunt, nemorumque Deæ, rurisque puellæ;  
 Sebinusque alto gemitum lacus edidit amne.

Ergo hanc per miseras terras Saturnus agebat  
 Pestem atrox; nec fæva minus crudelis & ipse  
 Miscebat Mavors, conjunctaque fata ferebat.  
 Quippe lue hâc nascente, putem simul omnia diras  
 Eumenidas cecinisse fera & crudelia nobis;  
 Tartareos etiam barathro (dira omina) ab imo  
 Excivisse lacus, Stygiâque ab sede laborem,  
 Pestemque, horribilemque famem, bellumque, necemque.

Dii patrii, quorum Ausonia est sub numine; tuque,  
 Tu Latii Saturne pater, quid gens tua tantum  
 Est merita? an quicquam supereft dirique gravisque,  
 Quod sit inexhaustum nobis? ecquod genus usquam  
 Aversum usque adeo cœlum tulit? Ipsa labores,  
 Parthenope, dic prima tuos; dic funera regum,  
 Et spolia, & prædas, captivaque colla tuorum.  
 An stragam infandam memorem, sparsumque cruentum  
 Gallorumque Italumque pari discrimine; quum jam  
 Sanguineum, & defuncta virûm defunctaque equorum  
 Corpora volventem, cristasque atque arma trahentem,  
 Eridanus pater acciperet rapido agmine Tarrum?  
 Te quoque spumantem, & nostrorum cæde tumentem,

Abdua,

Abdua, non multo post tempore, te pater idem  
 Eridanus gremio infelix suscepit, & altum  
 Indoluit tecum, & fluvio solatus amico est.  
 Ausonia infelix ! en quo discordia priscam  
 Virtutem, & mundi imperium perdixit avitum.  
 Angulus anne tui est aliquis, qui barbara non sit  
 Servitia, & prædas, & tristia funera passus ?  
 Dicite vos, nulos soliti sentire tumultus,  
 Vitiferi colles, quæ flumine pulcher amœno  
 Erethenus fluit, & plenis lapsurus in æquor  
 Cornibus, Euganeis properat se jungere lymphis.

O patria, ô longum felix, longumque quieta  
 Ante alias patria, ô Divum sanctissima tellus,  
 Dives opum, fœcunda viris, lætissima campis  
 Uberibus, rapidoque Athesi, & Benacide lymphâ,  
 Ærumnas memorare tuas, summamque malorum  
 Quis queat ? & dictis nostros æquare dolores,  
 Et turpes ignominias, & barbara jussa ?  
 Abde caput, Benace, tuo & te conde sub amne,  
 Viètrices nec jam Deus interlabere lauros.

En etiam, ceu nos agerent crudelia nulla,  
 Nec lacrymæ planctusve forent ; en dura tot inter,  
 Spes Latii, spes & studiorum & Palladis illa  
 Occidit. Ereptum Musarum è dulcibus ulnis  
 Te miserum ante diem crudeli funere, Marce  
 Antoni, ætatis primo sub flore cadentem  
 Vidimus extremâ positum Benacide ripâ,  
 Quam media inter saxa sonans Sarca abluit unda.  
 Te ripæ flevere Athesis ; te voce vocare  
 Auditæ per noctem umbræ, manesque Catulli,  
 Et patrios mulcere novâ dulcedine lucos.

Tem-

Tempestate illâ Aufoniam rex Gallus opimam  
Vertebat bello, & Ligurem ditione premebat.  
Parte aliâ Cæsar ferro superabat & igni  
Euganeos, placidumque Silim, Carnumque rebellem;  
Et totum luctus Latium moerorque tenebat.

## L I B. II.

**N**UNC age quæ vitæ ratio, quæ cura adhibenda  
Perniciem adversus tantam, quid tempore quoque  
Conveniat (noſtri quæ pars eſt altera cœpti)  
Expediam, & miranda hominum comperta docebo.  
Quippe novâ quum re attoniti multa irrita primum  
Tentassent, tamen angustis solertia major  
In rebus, crescensque uſu experientia longo  
Eviſere; datumque homini pretendere longè  
Auxilia, & certis peſtem compescere vinclis,  
Victorem & ſeſe claras attollere in auras.  
Credo equidem & quædam nobis divinitus eſſe  
Inventa, ignaros fatis ducentibus ipſis.  
Nam quamquam fera tempeſtas, & iniqua fuerunt  
Sidera, non tamen omnino præſentia Divūm  
Abſuit à nobis, placidi & clementia cœli.  
Si morbum inſolitum, ſi dura & triftia bella  
Vidimus, & ſparsos dominorum cæde Penates,  
Oppidaque, incenſasque urbes, eversaque regna,  
Et templa, & raptis temerata altaria ſacrī;  
Flumina dejectas ſi perrumpentia ripas  
Evertēre ſata, & mediis nemora eruta in undīs,  
Et pecora, & domini, correptaque rura natarunt,  
Obseditque inimica ipſas penuria terras:  
Hæc eadem tamen hæc ætas (quod fata negarunt

(Antiquis)

Antiquis) totum potuit fulcare carinis  
 Id pelagi, immensum quod circuit Amphitrite.  
 Nec visum satis, extremo ex Atlante reposos  
 Hesperidum penetrare sinus, Praesumque sub Arcto  
 Inspectare aliâ, præruptaque littora Rhapti,  
 Atque Arabo advehere & Carmano ex æquore merces;  
 Auroræ sed itum in populos Titanidis usque est  
 Supra Indum, Gangemque supra, quâ terminus olim  
 Catygare noti orbis erat: superata Cyambe,  
 Et dites ebeno, & felices macere sylvæ.  
 Denique & à nostro diversum gentibus orbem,  
 Diversum cœlo, & clarum majoribus astris,  
 Remigio audaci attigimus ducentibus & Diis.  
 Vidimus & vatem egregium, qui pulchra canenti  
 Parthenope placidusque cavo Sebethus ab antro  
 Plauerunt, umbræque sacri manesque Maronis;  
 Qui magnos stellarum orbes cantavit, & hortos  
 Hesperidum, cœlique omnes variabilis oras.  
 Te vero ut taceam, atque alios, quos fama futura  
 Post mutos cineres, quos & venientia secla  
 Antiquis conferre volent; at, Bembe, tacendus  
 Inter dona Deûm nobis data non erit unquam  
 Magnanimus Leo; quo Latium, quo maxima Roma  
 Attollit caput alta, paterque ex aggere Thybris  
 Assurgit, Romæque fremens gratatur ovanti:  
 Cujus ab auspiciis jam nunc mala sidera mundo  
 Cessere, & læto regnat jam Jupiter orbe,  
 Puraque pacatum diffundit lumina cœlum:  
 Unus qui ærumnas post tot, longosque labores,  
 Dulcia jam profugas revocavit ad otia Musas,  
 Et leges Latio antiquas, rectumque, pliumque  
 Restituit: qui justa animo jam concipit arma

Pre

70 HIERON. FRACASTORII

Pro re Romanâ, pro religione Deorum :  
 Unde etiam Euphrates, etiam latè ostia Nili,  
 Et tantum Euxini nomen tremit unda refusi,  
 Atque Ægæa suos confugit Doris in Isthmos.

Ergo alii dum tanta canent, dumque illius acta  
 Inclita component, dum forte accingeris & tu  
 Condere, & æternis victurum intexere chartis ;  
 Nos, quos fata vocant haud tanta ad munera, lusus  
 Inceptos, quantum tenuis fert Musa, sequamur.

Principio, quoniam affecti non sanguinis una  
 Est ratio, tibi fit morbo spes major in illo,  
 Sanguine qui infudit puro ; verùm quibus atrâ  
 Bile tument, spissoque resultant sanguine venæ,  
 Major in iis labor est, pestisque tenacius hæret.  
 Quare operæ pretium est validis atque acribus uti  
 Omnibus hos contra, miseris nec parcere membris.  
 Quinetiam meliora sibi promittere cuncta  
 Ille potest, qui principiis novis sub ipsis  
 Serpentem tacitè valuit per viscera labem.  
 Namque ubi pasta diu, vires per pabula longa  
 Auxerit, & jam se vitium firmaverit intra,  
 Heu ! quanto tibi libertas speranda labore est !  
 Ergo omnem impendes operam te opponere parvis  
 Principiis, memorique animo hæc præcepta reconde.

In primis ego non omni te aspuescere coelo  
 Exhorter ; fuge perpetuo quod flatur ab Austro,  
 Quod cœno immundæque grave est sudore paludis.  
 Protenti potius campi mihi, liber & agri  
 Tractus, & apricis placeant in collibus auræ,  
 Et molles Zephyri, pulsusque Aquilonibus aër.  
 Hic (jubeo) tibi nulla quies, nulla otia sunto :  
 Rumpe moras ; agita assiduis venatibus apros

Impiger,

*Impiger, assiduis agita venatibus ursos.*

*Nec tibi sit labor aërii cursu ardua montis*

*Vincenti, rapidum in valles deflectere cervum,  
Et longâ lustrare altos indagine saltus.*

*Vide ego sæpe malum qui jam sudoribus omne  
Finisset, sylvisque luem liquisset in altis.*

*Sed nec turpe puta dextram summittere aratro,  
Et longum trahere incurvo sub vomere sulcum ;  
Neve bidente solum & duras proscindere glebas,  
Et validâ aëriam quercum exturbare bipenni,  
Atque imis altam eruere ab radicibus ornum.*

*Quinetiam, exercere domi quo te quoque possis,  
Parvam mane pilam versa mihi, vespere versa :  
Et saltu, & durâ potes exudare palæstrâ.*

*Vince malum ; nec te fallat, quod desidis otî  
Affiduè desiderium lectique sequatur.*

*Tu lecto ne crede, gravi ne crede sopori :*

*His alitur vitium, & placidæ sub imagine pacis  
Decipit, è dulcique trahit fomenta quiete.*

*Nec non interea effugito quæ tristia mentem  
Sollicitant ; procul esse jube curasque, metumque  
Pallentem, ultricesque iras, omnemque Minervæ  
Addictum studiis animum : sed carmina, sed te  
Delectent juvenumque chori, mistæque puellæ.  
Parce tamen Veneri, mollesque ante omnia vita  
Concubitus ; nihil est nocuum magis ; odit & ipsa  
Pulchra Venus, teneræ contagem odere puellæ.*

*Quod sequitur ; victûs ratio tibi maximâ habenda est,  
Nec sit cura tibi, neve observantia major.*

*Principio, quoscunque amnes, quoscunque paludes,  
Quosque lacus liquidi pascunt, quosque æquora pisces,  
Omne genus procul amoveo. Sunt quos tamen usus*

## 72 HIERON. FRACASTORII

Liberius, quum res cogit, concedere possit.  
 Omnibus his est alba caro, non dura tenaxque,  
 Quos petræ, & fluviorum adversa, marisque fatigant.  
 Tales nant pelago phycides, rutilæque per undas  
 Auratae, gobiique, & amantes faxea percæ :  
 Talis dulcifluum fluviorum scarus ad ora  
 Solus faxa inter depastas ruminat herbas.  
 Sed neque quæ stagnis volucres, quæque amnibus altis  
 Degere amant, liquidisque cibum perquirere in undis,  
 Laudarim : tibi pinguis anas, tibi crudior anser  
 Vitetur, potiusque vigil Capitolia servet ;  
 Viteturque gravi coturnix tarda saginâ.  
 Tu teneros lactes, tu pandæ abdomina porcæ,  
 Porcæ (heu !) terga fuge ; & lumbis ne vescere aprinis,  
 Venatu quamvis toties confeceris apos.  
 Quin neque te crudus cucumis, non tubera captent ;  
 Neve famem cinarâ bulbisve salacibus exple.  
 Non placeat mihi lactis amor, non usus aceti,  
 Non fumosa mero spumantia pocula Baccho,  
 Qualia Cyrnæi colles, campique Falerni  
 Et Fucinus ager mittunt ; aut qualia nostris  
 Rhetica dat parvo de collibus uva racemo.  
 Nempe Sabina magis placeant, dilutaque tellus  
 Quæ tulit, & multo domuerunt Naiades amne.  
 At tibi si ex horto victus, mensæque Deorum  
 Sunt animo, atque olerum simplex & inempta voluptas ;  
 Non mentæ virides, non læta sisymbria desunt,  
 Intybaque, & toto florentes frigore sonchi,  
 Et sia fontanis semper gaudentia rivis,  
 Et thymbræ suaves, & odoriferæ calamintæ :  
 Læta meliphylla, & riguo buglossus ab horto  
 Carpantur, plenisque ferax erucula palmis,

Atque

Atque olus, atque rumex, & falsi gramina critimi.  
 Ipsa lupum dumeta ferent: hinc collige primos  
 Asparagos, albæ aspàragos hinc collige vitis,  
 Quum nondum explicuit ramos, umbracula nondum  
 Texuit, & virides jussit pendere corymbos.  
 Singula sed longum est, nec percensere necesse:  
 Jamque aliud vocor ad munus; juvat in nova Musas  
 Naturæ nemora Aoniis deducere ab umbris:  
 Unde mihi si non è lauro intexere fronti  
 Serta volent, tantâque caput cinxisse coronâ;  
 At fâtem, ob servata honiinum tot millia, dignum  
 Censuerint quernâ redimiri tempora fronde.

Vere novo, si quem morbus tenet, aut & in ipso  
 Autumno, si firma ætas, si sanguis abundat,  
 Regalem, mediamve lacerti incidere venam  
 Proderit, atque extra foedatum haurire cruem.  
 Præterea, quocunque habeat te tempore pestis,  
 Corruptum humorem & contagem educere turpem  
 Ne pigeat, facilique luem deponere ab alvo.  
 Ante tamen ducenda para, concreta resolve,  
 Et crassa attenua, & lentore tenacia frange.

Ergo Coryciumque thymum sit cura, thymumque  
 Pamphylium, thymbræ similis qui durior exit,  
 Prima tibi coxisse, lupique volubile gramen,  
 Fœniculumque, apiumque, & amari germina capni.  
 His polyporum hirtos imitata filicula cirros  
 Additur, & lymphis tangi renuens adiantus:  
 His sterile asplenum, his pictam phyllitida junge.  
 Quorum ubi decoctum permultis ante diebus  
 Ebiberis, crudumque humorem incoixeris omnem,  
 Tum scillâ medicare acri, & colocynthide amarâ,  
 Helleboroque gravi: nec non quæ in littore surgens,

## 74 HIERON. FRACASTORII

Quà ludit maris unda, ter evariata colorem;  
 Ter flores mutata die, rem nomine signat,  
 Herba potens radice: suum cui zinziber adde;  
 Adde etiam anguineum cucumin, Nabatheaque thura,  
 Myrrhamque, bdelamque, hammoniacique liquorem,  
 Et lacrymam panaceam, & dulci Colchica bulbo.

His actis, si fortè tibi frigentia corda,  
 Et molles animi fuerint; nec acerba placebit  
 In primis tentare, brevique extinguere pestem,  
 Sed placidis agere, & per tempora lenibus uti:  
 Tum supereft tibi cura animum ad fomenta relicta  
 Vertere, contagisque ad tenuia semina cæcæ,  
 Illa quidem consueta modis inserpere miris.  
 Profuerint igitur quæque exsiccantia, quæque  
 Marcori resinosa folent obſistere putri.  
 Tales sunt myrrhæ lacrymæ, sunt talia thura,  
 Cedrusque, aspalathusque, immortalisque cupressus,  
 Et bene cum calamo spirans redolente cyperus.  
 Ergo nec defint casiae, nec desit amomum,  
 Macerve, agalochumve tibi, nec cinnama odora.  
 Est etiam in pratis illud juxtaque paludes  
 Scordion, omnigenis quod tantum obſtare venenis  
 Contagique folet; parvo quærenda labore  
 Herba tibi, viret ipsa comis imitata chamædryn,  
 Flore rubens, referensque alli cum voce saporem.  
 Aurorâ nascente hujus frondemque comantem  
 Radicesque coque, atque haufstu te proluue largo.  
 Sed neque carminibus neglecta filebere nostris  
 Hesperidum decus, & Medarum gloria, citre,  
 Sylvarum; si fortè sacris cantata poëtis  
 Parte quoque hâc medicam non dedignabere Musam.  
 Sic tibi sit semper viridis coma, semper opaca,

Semper flore novo redolens : sis semper onusta  
 Per viridem pomis sylvam pendentibus aureis.  
 Ergo ubi nitendum est cæcis te opponere morbi  
 Seminibus, vi mirâ arbor Citherea præstat ;  
 Quippe illam Citherea, suum dum plorat Adonim,  
 Munere donavit multo, & virtutibus auxit.

Quorundam inventum est, vitrei inter concava vasis,  
 Cui collum oblongum est, venter turgescit in orbem,  
 Aut hederæ folia, aut Idâ mittente maniplos  
 Dictamni, Illyricamve irim, rhamnive nigrantem  
 Radicem, aut inulas coquere : in sublime solutus  
 Effertur vapor, & tenuis vacua omnia complet :  
 Ast, ubi frigenti occurravit ab aëre vitro,  
 Cogitur, & rorem liquidus densatur in udum,  
 Decurritque vagis per aperta canalia rivis.  
 Destillantis aquæ cyathum sub lumina prima  
 Luciferi potare jubent, stratisque parare  
 Sudorem : nec certè ab re ; vis utilis olli est,  
 Relliquis morbi tenues dispergere in auras.

Interea si membra dolor convulsa malignus  
 Torqueat, œsypo propera lenire dolorem,  
 Mastichinoque oleo ; lentum quibus anferis unguen,  
 Emulsumque potes lini de semine mucum,  
 Narcissumque, inulamque, liquentiaque addere mella,  
 Coryciumque crocum, & vilem componere amurcam.  
 At fauces atque ora malus si eroserit herpes,  
 Tange nitro, & viridi medicatâ ærugine lymphâ  
 Semina inure mala, & serpentem interfice pestem.

Verùm ipsos ope non aliâ consumere achores  
 Urentum quâm vi poteris ; quibus addere debes  
 Pingue aliquid, quod secum intus siccantia portet.

## 76 HIERON. FRACASTORII

Hæc eadem &, miseros artus siqua ulcera pascunt,  
Tollere, concretosque valebunt solvere callos.

Si verò aut hæc nequicquam tentasse videbis,  
Aut vires animique valent ad fortia quæque,  
Nec differre cupis, quin te committere acerbis  
Festines, diramque brevi consumere pestem ;  
Hinc alia inventa expediam, quæ tristia quanto  
Sunt magis, hoc tanto citius finire labores  
Ærumnasque mali poterunt. Quippe effera labes  
Inter prima tenax, & multo somite vivax,  
Nedum se haud vinci placidis & mitibus, at nec  
Tractari finit, & mansuescere dura repugnat.  
Sunt igitur styracem in primis qui, cinnabarinque,  
Et minium, & stymmi agglomerant, & thura minuta ;  
Quorum suffitu pertingunt corpus acerbo,  
Absumuntque luem miseram & contagia dira.  
At verò & partim durum est medicamen & acre,  
Partim etiam fallax ; quo faucibus angit in ipsis  
Spiritus, eluctansque animam vix continet ægram.  
Quocirca totum ad corpus nemo audeat uti,  
Judice me ; certis fortasse erit utile membris,  
Quæ papulæ informes Chironiaque ulcera pascunt.

Argento melius persolvunt omnia vivo

Pars major : miranda etenim vis insita in illo est ;  
Sive quod id natum est subito frigusque caloremque  
Excipere, unde in se nostrum cito contrahit ignem,  
Quodque est condensum, humores dissolvit, agitque  
Fortius, ut candens ferrum flammâ acrius urit :  
Sive acres, unde id constat compagine mirâ,  
Particulæ, nexuque suo vinclisque solutæ  
Introrsum, ut potuere seorsum in corpora ferri,  
Colliquant concreta, & semina pestis inurunt :

Sive

Sive aliam vim Fata illi & Natura dedere:  
 Cujus & inventum medicamen munere Divum  
 Digressus referam. Quis enim admiranda Deorum  
 Munera prætereat? Syriae nam fortè sub altis  
 Vallibus, umbrosi nemora inter glauca salicti,  
 Callirhoe quæ fonte sonans decurrit ameno,  
 Fama est, cultorem Diis sacri agrestibus horti,  
 Cultorem nemorum, sectatoremque ferarum  
 Ilcea labe gravem tantâ, dum molle cyperum,  
 Et casiam, & sylvam latè fragrantis amomi  
 Irrigat, hæc orasse Deos, & talia fatum.

Dii, quos ipse diu colui; tuque optima tristes  
 Callirhoe, quæ sancta soles depellere morbos;  
 Cui nuper ramosa ferens ego cornua cervi  
 Aeriâ victor fixi capita horrida queru:  
 Dii, mihi crudelem misero si tollere pestem  
 Hanc dabitis, quæ me afflictat noctesque diesque,  
 Ipse ego purpureas, ipse albas veris & horti  
 Primitias, vobis violas, ego lilia vobis  
 Alba legam, primasque rosas, primosque hyacinthos,  
 Vestraque odoratis onerabo altaria fertis.  
 Gramen erat juxta viridans. Sic fatus, ut æstu  
 Fessus erat, viridi desedit graminis herbâ.  
 Hic Dea, vicino quæ feso fonte lavabat,  
 Callirhoe liquido ex antro per lubrica musco  
 Saxa fluens, juveni dulci blandita susurro,  
 Lethæum immisit somnum, sparsitque sopore  
 Gramineâ in ripâ, & salicum nemus inter opacum;  
 Atque illi visa est sacro se flumine tollens  
 In somnis coram esse, piâ & sic voce locuta.  
 Ilceu, in extremo Diis tandem audite labore,  
 Cura mei, tibi nulla salus quacunque videt Sol

Speranda est terram magnam super. Hoc tibi poena  
 Dat Trivia, & precibus Triviae exoratus Apollo,  
 Ob sacrum jaculo percussum ad flumina cervum,  
 Et nostris affixa tibi capita horrida truncis.

Nam postquam illa feram exanimem per gramina vidi  
 Absciso capite, & sacro sparsa arva cruento,  
 Omnibus ingemuit sylvis, dirumque precata est  
 Auctori. Oranti Latous tanta sorori  
 Affuit, & pestem misero immisere nefandam  
 Durus uterque tibi ; quin & quacunque videt Sol  
 Interdixit opem : quare tellure sub imâ,  
 Siqua salus supereft, cæcâ sub nocte petenda est.

Est specus arboribus tectum atque horrore verendum  
 Vicinâ sub rupe, Jovis quâ plurima sylva  
 Accubat, & raucum reddit coma cedria murmur.  
 Huc, ubi se primis Aurora emittet ab undis,  
 Ire para ; & nigrantem ipsis in faucibus agnam  
 Maestato supplex, atque Ops tibi maxima, dic, hanc,  
 Dic, ferio. Nigram tum noctem, umbrasque silentes,  
 Umbrarumque Deos, ignotaque numina Nymphas  
 Et thyâ venerare atræ & nidore cupressi.  
 Hic tibi narranti causam, auxiliumque vocanti,  
 Haud aberit Dea, quæ cæcæ in penetralia terræ  
 Deducat te sancta, & opem tibi sedula præstet.  
 Surge age, nec vani speciem tibi concipe somni.  
 Illa ego sum, quæ culta vago per pinguia fonte  
 Dilabor, Dea vicinis tibi cognita ab undis.  
 Sic ait, & se cœruleo cita condidit anine.

Ille autem, ut placidus cessit sopor, omina lætus  
 Accipit, & Nympham precibus veneratur amicam :  
 O sequor, ô quocunque vocas, pulcherrima fontis  
 Vicini Dea, Callirhoe. Tum postera primum

Exurgens

Exurgens Aurora suos ubi protulit ortus,  
 Monstratum Jovis in sylvâ sub rupibus altis  
 Antrum ingens petit, & nigrantem tergora primo  
 Vestibulo fistit pecudem, magnæque trementem  
 Mactat Opi ; tibique, inquit, ego hanc Ops maxima macto.  
 Tum noctem, noctisque Deas, ignota precatur  
 Numina, tamque simul thyan atramque cupressum  
 Urebat, quum vox terræ revoluta cavernis  
 Longè audita sacras Nympharum perculit aures,  
 Nympharum quibus æra solo sunt condita curæ.  
 Extemplo commotæ omnes, ac cœpta reponunt,  
 Sulfureos fortè ut latices, & flumina vivi  
 Argenti, mox unde nitens concresceret aurum,  
 Tractabant, gelidoque prementes fonte coquebant.  
 Centum ignis spissi radios, centum ætheris usci,  
 Bis centum concretorum terræque marisque  
 Miscuerant, nostros fugientia semina visus.

At Lipare, Lipare argenti cui semina & aurî  
 Cura data, & sacrum flammis adolere bitumen,  
 Continuò obscuræ latebroſa per avia terræ  
 Ilcea adit, firmansque animum sic incipit ipsa :

Ilceu (namque tuum nec nomen, nec mihi labos  
 Ignota est, nec quid venias) jam corde timorem  
 Exue : nequicquam non te huc chariflma mittit  
 Callirhoë ; tibi parta salus tellure sub imâ est.  
 Tolle animos, & me per opaca silentia terræ  
 Insequere ; ipsa adero, & præfenti numine ducam.  
 Sic ait, & se antro gradiens præmittit opaco.  
 Ille subit, magnos terræ miratus hiatus,  
 Squalentesque fitu æterno & sine lumine vastas  
 Speluncas, terramque meantia flumina subter. [est,  
 Tum Lipare : Hoc quodcunque patet, quam maxima terra  
 Hunc

Hunc totum sine luce globum, loca subdita nocti,  
 Dii habitant; imas retinet Proserpina sedes,  
 Flumina supremas, quæ sacris concita ab antris  
 In mare per latas abeunt resonantia terras:  
 In medio dites Nymphæ, genera unde metalli,  
 Ærisque, argentique, aurique nitentis origo:  
 Quarum ego nunc ad te miserans ipsa una sororum  
 Advenio, illa ego, quæ venas per montis hiantes,  
 Callirhoë haud ignota tuæ, fumantia mitto  
 Sulfura. Sic ibant terrâ & caligine tecti;  
 Jamque exaudiri crepitantes sulfure flammæ,  
 Conclusique ignes, stridentiaque æra caminis.  
 Hæc regio est latè variis ubi foeta metallis,  
 Virgo ait, est tellus; quorum vos tanta cupido  
 Exercet, superas coeli qui cernitis auras.  
 Hæc loca mille Deæ cæcis habitamus in antris,  
 Nocte Deæ & Tellure fatæ, queis munera mille,  
 Mille artes. Studium est aliis deducere rivos,  
 Scintillas alis rimari, & sparsa per omnem  
 Semina tellurem flamarum, ignisque corusci:  
 Materiam miscent aliæ, massamque coercent  
 Obicibus, multâ & gelidarum adspergine aquarum.  
 Non procul eruptis fumantia tecta caminis  
 Ætnæ Cyclopes habent, versantque, coquuntque  
 Vulcano stridente, atque æra sonantia cudunt.  
 Læva hæc abstrusum per iter via dicit ad illos:  
 Dextera sed sacri fluvii te fistet ad undam,  
 Argento fluitantem undam, vivoque metallo,  
 Unde salus speranda. Et jam aurea tecta subibant,  
 Rorantesque domos spodiis, fuligineque atrâ  
 Speluncas varie obductas, & sulfure glauco.  
 Jamque lacus latè undantes liquidoque fluentes

Argento

Argento juxta astabant, ripasque tenebant.  
 Hic tibi tantorum requies inventa laborum,  
 Subsequitur Lipare; postquam ter flumine vivo  
 Perfusus, sacrâ vitium omne reliqueris undâ.  
 Sic fatur: simul argenti ter fonte salubri  
 Perfundit, ter virgineis dat flumina palmis  
 Membra super; juvenem toto ter corpore lustrat  
 Mirantem exuvias turpes, & labo malignâ  
 Exutos artus, pestemque sub amne reliquit.

Ergo age, quum primum cœli te purior aër  
 Accipiet, nitidamque diem solemque videbis,  
 Sacra para, & castam supplex venerare Dianam,  
 Indigenasque Deos, & numina fontis amici.

Sic virgo: & juvenem tanto pro munere grates  
 Solventem è nocte ætherias educit in oras,  
 Dimittitque alacrem, atque optata in lumina reddit.

Accepit nova fama fidem, populosque per omnes  
 Prodiit haud fallax medicamen; cœptaque primum  
 Misceri argento fluitanti axungia porcæ:  
 Mox etiam Oriciæ simul adjuncta est terebinthi  
 Et laricis resina aériæ. Sunt qui unguen equinum  
 Ursinumve adhibent, bdelæ, cedrique liquorem.  
 Nonnulli & myrrhæ guttas & mascula thura  
 Adjiciunt, miniumque rubens, & sulfura viva.  
 Haud vero mihi displiceat, componere siquem  
 Trita melampodia atque arenem juverit irim,  
 Galbanaque, & lasser graveolens, oleumque salubre  
 Lentisci, atque oleum haud experti sulfuris ignem.

His igitur totum oblinere atque obducere corpus  
 Ne obscœnum, ne turpe puta; per talia morbus  
 Tollitur, & nihil esse potest obscœnius ipso.  
 Parce tamen capiti, & præcordia mollia vita.

Tum

Tum super & vittas astringe, & stuppea nocte  
 Vellera; dein stratis tegmento imponere multo,  
 Dum sudes, foedæque fluant per corpora guttæ.  
 Hæc tibi bis quinis satis est iterasse diebus.  
 Durum erit; at quicquid tulerit res ipsa, ferendum est.  
 Aude animis; tibi certa salus stans limine in ipso  
 Signa dabit: liquefacta mali excrements videbis  
 Affiduè sputo immundo fluitare per ora,  
 Et largum ante pedes tabi mirabere flumen.  
 Ora tamen foeda erodent ulcuscula; sed tu  
 Lacte fove, & cocto cytini, viridisque ligustri.  
 Tempore non alio generosi pocula Bacchi  
 Annuerim sumenda tibi, purumque Falernum,  
 Et Chia, & pateris spumantia Rhetica largis.  
 Sed jam age, vicinæ victor gratare saluti.  
 Ultima adest tibi cura, eadem & placidissima; corpus  
 Abluere, & lustrare artus, ac membra piare  
 Stœchade, amaraciniisque comis, & rore marino,  
 Verbenâque sacrâ, & benevolentibus Heracleis.

## LIB. III.

**S**ED jam me nemora alterius felicia mundi,  
 Externique vocant saltus. Longè affonat æquor  
 Herculeas ultra metas, & littora longè  
 Applaudunt semota: mihi nunc magna Deorum  
 Munera, & ignoto devecta ex orbe canenda  
 Sancta arbos, quæ sola modum requiemque dolori  
 Et finem dedit ærumnis. Age, Diva, beatum,  
 Uranie, venerare nemus; crinesque revinctam  
 Fronde novâ juvet in medicâ procedere pallâ  
 Per Latium, & sanctos populis ostendere ramos:

Et

Et juvet haud unquam nostrorum ætate parentum  
Visa prius, nullive unquam memorata referre.

Unde aliquis forsan novitatis imagine mirâ  
Captus, & heroas & grandia dicere facta  
Affuetus, canat auspiciis majoribus ausas  
Oceani intacti tentare pericula puppes.

Necnon & terras varias, & flumina, & urbes,  
Et varias memoret gentes, & monstra reperta,  
Dimensaque plagas, alioque orientia cœlo  
Sidera, & insignem stellis majoribus Arcton.

Nec taceat nova bella, omnemque illata per orbem  
Signa novum, & positas leges, & nomina nostra.

Et canat (auditum quod vix venientia credant  
Secula) quocunque oceani complectitur æquor  
Ingens, omne unâ obitum mensumque carinâ.  
Felix, cui tantum dederit Deus: at mihi vires  
Arboris unius satis est usumque referre,  
Et quo inventa modo fuerit, nostrisque sub auras  
Advena per tantum pelagi pervenerit æquor.

Oceano in magno, ardenti sub sidere Cancri,  
Sol ubi se nobis mediâ jam nocte recondit,  
Hac ignota tenuis, tractu jacet insula longo;  
Hispanam gens inventrix cognomine dixit:  
Auri terra ferax, sed longè ditior unâ  
Arbore, voce vocant patrii sermonis Hyacum.  
Ipsa teres ingensque ingentem vertice ab alto  
Diffundit semper viridem semperque comantem  
Arbuteis sylvam foliis. Nux parva, sed acris,  
Dependet ramis, & plurima frondibus hæret.  
Materia indomita est, duro & pæne æmula ferro  
Robora, quæ resinam sudant incensa tenacem.  
Dissectæ color haud simplex: in cortice, lauri

Exteriore

Exteriore viret livor; pars altera pallet  
 Buxea; at interior nigro suffusca colore est,  
 Juglandemque ebenumque inter; quod si inde ruberet,  
 Jam poterat variis æquare coloribus Irim.  
 Hanc gens illa colit, studioque educere multo.  
 Nititur; hâc latè colles campique patentes,  
 Hâc omnis vestitur ager; nec sanctius illis  
 Est quicquam, aut potiore usu. Quippe omnis in illâ  
 Spes jacet hanc contra pestem, quæ cœlitùs illic  
 Perpetua est: validos abjecto cortice ramos  
 Multâ vi tundunt, aut in segmenta minuta  
 Elimant, puroque scobes in fonte reponunt,  
 Dum bibulas noctemque diemque emaceret humor.  
 Inde coquunt: necnon illos ea cura fatigat,  
 Vulcano ne fortè furens erumpat aquæ vis,  
 Et superundantem spumam projectet in ignes.  
 Spumâ quippe linunt, si quicquam è corpore toto  
 Abscedit, si quicquam ægros depascitur artus.  
 Dimidiâ absumptâ, superest quodcumque reponunt  
 Divini laticis. Quin & segmenta relicta  
 Rursus, ut ante, coquunt, addentes suaveliquens mel.  
 Scilicet hunc unum mensis accedere potum  
 Et lex ipsa jubet gentis, mandatque sacerdos.  
 Servatum at laticem, & decocti pocula primi  
 Bina die quâque assumunt, quum surgit ab ortu  
 Lucifer, & sero egreditur quum vesper Olympo.  
 Nec prius absunt potu, quam menstrua cursum  
 Luna suum, & totum peragrans perfecerit orbem,  
 Fraternasque iterum convenerit æmula bigas.  
 Interea cæcis sese penetralibus abdunt,  
 Quo neque vis venti, non halitus aëris ullus  
 Insinuet sese, & gelidis afflatibus obsit.

Quid mirandum æquè memorem super omnia viëtum  
 Quàm tenuem, quàm magna sibi jejunia poscant?  
 Quippe solet satis esse, ipsum dum corpus alatur,  
 Dum superet vita, & tantum ne membra fatiscant.  
 Ne tamen, ah! ne tanta time: facer ilicet haustus  
 Ille, modo ambrosiæ, vires reficitque fivetque,  
 Inque occulta gerit jejunis pabula membris.  
 Nectare ab epoto binas, non amplius, horas  
 Imponunt sese stratis, medicamen ut intro  
 Largè eat, & calido sudorem è corpore ducat.  
 Interea vacuas pestis vanescit in auras,  
 Et (dictu mirum) apparet jam pustula nulla,  
 Jamque nomæ cessere omnes; jam fortia liquit  
 Membra dolor, primoque redit cum flore juventa;  
 Et jam Luna suum remeans nova circuit orbem.

Quis Deus hos illis populis monstraverit usus,  
 Qui demum & nobis casus aut fata tulere  
 Hos ipsos, unde & sacræ data copiæ sylvæ,  
 Nunc referam. Missæ quæsitum abscondita Nerei  
 Äquora in occasum Solisque cubilia pinus,  
 Littoribus longè patriis Calpeque relictis,  
 Ibant oceano in magno, pontumque secabant,  
 Ignaræque viæ, & longis erroribus actæ:  
 Quas circum innumeræ properantes gurgite ab omni  
 Ignoti nova monstra maris Nereides udæ  
 Adnabant, celsas miratæ currere puppes,  
 Salsa super pictis volitantes æquora velis.

Nox erat, & puro fulgebat ab æthere Luna,  
 Lumina diffundens tremuli per marmora ponti,  
 Magnanimus quum tanta heros ad munera fatis  
 Delectus, dux errantis per cœrula classis,  
 Luna, ait, ô, pelagi cui regna hæc humida parent,

Quæ

Quæ bis ab auratâ curvasti cornua fronte,  
 Curva bis explêsti, nobis errantibus ex quo  
 Non ulla appetet tellus, da littora tandem  
 Aspicere, & dudum speratos tangere portus,  
 Noctis honos cœlique decus, Latonia virgo.  
 Audiit orantem Phœbe; delapsaque ab alto  
 Æthere, se in faciem mutat, Nereïa quali  
 Cymothoë, Clothoque natant, juxtaque carinam  
 Afttitit, & summo pariter nans æquore fatur:  
 Ne nostræ dubitate rates; lux craftina terras  
 Ostendet, fidoque dabit succedere portu.  
 Sed vos littoribus primis ne insistite; dudum  
 Ultra fata vocant. Medio magna insula ponto  
 Est Ophyre, huc iter est vobis, hic debita sedes  
 Imperiique caput. Simul hæc effata carinam  
 Impulit; illa levi cita dissecat æquora cursu.  
 Aspirant faciles auræ, & jam clarus ab undis  
 Surgebat Titan, humiles quum surgere colles  
 Umbrosi procul, & propior jam terra videri  
 Incipit: acclamant nautæ, terramque salutant,  
 Terram exoptatam. Tum portu & littore amico  
 Excepit, Diis vota piis in littore solvunt;  
 Quassatasque rates defessaque corpora curant.  
 Inde ubi quarta dies pelago, crepitansque vocavit  
 Vela Notus, remis insurgitur, altaque rursum  
 Corripiunt maria, & læti freta cærula fulcant.  
 Linquitur incerto fluitans Anthylia ponto,  
 Atque Hagia, atque alta Ammerie, execrataque tellus  
 Cannibalum, & ripâ Gyane nemorosa virenti.  
 Protinus innumeræ panduntur turribus altis  
 Insulæ oceano in vasto; quas inter, opacis  
 Undantem sylvis unam, cursuque sonantem

Fluminis

## S Y P H I L I S.

57

Fluminis aspiciunt, magno qui spumeus alveo  
 In mare fulgentes auro subvectat arenas.  
 Hujus in ora placet pronas appellere puppes.  
 Invitant nemora, & dulces è flumine lymphæ.  
 Jamque solo viridante alacres, ripaque potiti,  
 In primis terram ignotam, Nymphasque salutant  
 Indigenas, geniumque loci, teque aurifer amnis,  
 Quisquis in ora maris nitidâ perlaberis undâ.  
 Tum duram Cererem, & patrii carchesia Bacchi  
 Aggere in herboso expediunt: dein quærere siqui  
 Mortales habitent: pars fulvam fluminis undam  
 Mirari, mistamque auro disquirere arenam.  
 Fortè per umbrosos sylvarum plurima ramos  
 Affiduè volitabat avis, quæ picta nitentes  
 Cæruleo pennas, rostro variata rubenti,  
 Ibat nativo secura per avia luco.  
 Has juvenum manus ut sylvas videre per altas,  
 Continuo cava terrificis horrentia bombis  
 Æra, & flammiferum tormenta imitantia fulmen  
 Corripiunt, Vulcane, tuum, dum Theutonas armas,  
 Inventum, dum tela Jovis mortalibus affers.  
 Nec mora: signantes certam sibi quisque volucrem,  
 Inclusam, salicum cineres, sulphurque, nitrumque,  
 Materiam accendunt servata in resle favilla.  
 Fomite correpto diffusa repente furit vis  
 Ignea circumsepta, simulque cita obice rupto  
 Intrusam impellit glandem: volat illa per auras  
 Stridula, & exanimis passim per prata jacebant  
 Dejectæ volucres: magno micat ignibus aër  
 Cum tonitru, quo sylva omnis, ripaque recurvæ,  
 Et percussa imo sonuerunt æquora fundo.  
 Pars avium nemus in densum conterrita & altos

G

Se

## 88) HIERON. FRACASTORII

Se recipit scopulos: quorum de vertice summo  
Horrendum una canit, (dictu mirabile) & aures  
Terrificis implet dictis, ac talibus infit.

Qui Solis violatis aves, sacrasque volantes,  
Hesperii, nunc vos, quae magnus cantat Apollo,  
Accipite, & nostro vobis quae nuntiat ore.  
Vos, quanquam ignari, longum quæsita, secundis  
Tandem parta Ophyræ tetigistis littora ventis.  
Sed non ante novas dabitur summittere terras,  
Et longâ populos in libertate quietos,  
Molirique urbes, ritusque ac sacra novare,  
Quam vos infanos pelagi terræque labores  
Perpepsi, diversa hominum post prælia, multi  
Mortua in externâ tumuletis corpora terrâ.  
Navibus amissis pauci patria arva petetis;  
Frustra alii socios quæretis magna remensi  
Æquora; nec nostro deerunt Cyclopes in orbe.  
Ipsa inter se velstras discordia puppes  
In rabiem ferrumque trahet: nec sera manet vos  
Illa dies, fœdi ignoto quum corpora morbo  
Auxilium sylvâ miseri poscetis ab istâ,  
Donec pœniteat scelerum. Nec plura locuta  
Horrendum stridens densis se abdidit umbris.  
Ollis ossa rigor subitus percurrit, & omnis  
Palluit ac gelidâ fugit formidine sanguis.  
Tum verò sacras volucres Divosque precati,  
In primis Solem, & sanctum servantia lucum  
Numina supplicibus venerantur agrestia votis;  
Pacem orant, rursumque Ophyren fluviumque salutant.  
Interea è sylvis nigrum genus ora comasque,  
Ad naves nova turba virûm concurrit inermis,  
Pectora nudi omnes, evincti frondibus omnes

Paciferis:

Paciferis: tantâ qui celsas mole carinas  
 Mirati, vestesque virûm, fulgentiaque arma,  
 Vix satis expleri possunt: & ab æthere missi  
 Sive homines, sive heroës sint, sive Deorum  
 Numina, adorantum ritu precibusque salutant:  
 Ante alios ipsum regem; cui munera læta,  
 E ripis collectum aurum, & Cerealia dona,  
 Et patrios fructus, & mella liquentia portant.  
 Vestibus ipsi etiam nostris & munere multo  
 Donati, exceptique mero nova gaudia miscent.  
 Non aliter, quâm si mensis dapibusque Deorum  
 Mortalis quisquam adscitus, felixque futurus,  
 Hauriat æternum, cœlestia pocula, nectar.

Ergo ubi amicitiae securos foedere utrinque  
 Firmavere animos, habita & commercia gentis,  
 Ipsi inter se rege in littore læti  
 Complexu jungunt dextras, & foedera firmant.  
 Alter goffipio tenui pectusque femurque  
 Præcinctus, viridi limbum pingente smaragdo,  
 Ora niger; jaculo armatur cui dextera acuto,  
 Squamosi spolium sustentat læva draconis.  
 Alter at intexto lænam circundatus auro,  
 Quam subter rutila arma micant, capiti ærea cassis,  
 Insidet, & pictæ volitant in vertice cristæ:  
 Fulgenti ex auro torques cui candida colla  
 Cingunt, atque ensis lateri dependet Iberus.  
 Et jam commisti populi, hospitioque recepti,  
 Hi tectis domibusque, altis in navibus illi,  
 Lætitia ludisque dies per pocula ducunt.

Fortè loco lux festa aderat, Solique parabant  
 Ultori facere umbroso sacra annua luco.  
 Hesperiæque, Ophyræque manus convenerat omnis.

Hic convalle cavâ, ripæ viridantis in herbâ,  
 Selectorum ingens numerus, matresque virique  
 Confusi, plebs atque patres, puerique senesque,  
 Astabant, animis tristes, & corpora fœdi,  
 Squalentes crustis omnes, taboque fluentes :  
 Quos circumfusos albenti in veste sacerdos  
 Purâ lustrat aquâ, & ramo frondentis Hyaci.  
 Tum niveum ante aras cædit de more juvencum,  
 Et juxta positum pastorem sanguine cæsi  
 Respergit, paterâque rigat ; Solique potenti  
 Ad numeros Pæana canit : nec cætera turba  
 Non sequitur, maestantque sues, maestantque bidentes,  
 Visceribusque veru tostis epulantur in herbâ.

Obstupuit gens Europæ ritusque sacrorum,  
 Contagemque alio non usquam tempore visam.  
 At dux multa animo tacitus secum ipse volutans,  
 Hic erat ille, inquit, morbus, (Dii avertite casum)  
 Ignotum interpres Phœbi quem dira canebat.  
 Tum regem indigenam, (ut sermo fandique facultas  
 Jam communis erat) cui sint solennia Divûm,  
 Scitatur : quid tanta astet convalle sub altâ  
 Languentum miseranda manus : quid pastor ad aras  
 Sacra inter, cæsi respersus sanguine tauri.  
 Quem contra, Hesperiæ ô heros fortissime pubis,  
 Rex ait, hi gentis ritus, hæc sacra quotannis  
 Ultori de more Deo celebramus : origo  
 Antiqua est, veteresque patrum fecere parentes.  
 Quod si externorum mores, hominumque labores.  
 Audivisse juvat, primævâ ab origine causam  
 Sacrorum, & pestis miseræ primordia pandam.  
 Foritan Atlantis vestras pervenit ad aures  
 Nomen, & ex illo generis longo ordine ducti.

Hâc

Hac & nos, longâ serie, de stirpe profecti  
 Dicimur; heu quondam felix & cara Deûm gens,  
 Dum cœlum colere, & Superis accepta referre  
 Majores suevere boni! sed numina postquam  
 Contemni cœptum est luxu fastuque nepotum,  
 Ex illo quæ sint miseros quantæque secutæ  
 Ærumnæ, vix fando unquam comprehendere possem.  
 Insula tum prisci regis de nomine dicta  
 Ingenti terræ concussa Atlantia motu  
 Corruit, absorpta Oceano; quem mille carinis  
 Sulcavit toties, terræ regina marisque.  
 Ex illo & pecudes, & grandia quadrupedantum  
 Corpora, non ullis unquam reparata diebus  
 Æternum periere: externaque vicâma sacris  
 Cæditur, externus nostras cruor imbuit aras.  
 Tum quoque & hæc infanda lues, quam nostra videtis  
 Corpora depasci, quam nulli aut denique pauci  
 Vitamus, Divûm offendis & Apollinis irâ  
 De cœlo demissa omnes grassatur in urbes.  
 Unde hæc sacra novo primum solennia ritu  
 Instituere patres, quorum hæc perhibetur origo.

Syphilus (ut fama est) ipsa hæc ad flumina pastor  
 Mille boves, niveas mille hæc per pabula regi  
 Alcithoo pascebatur oves; & fortè sub ipsum  
 Solstictium urebat fitientes Sirius agros,  
 Urebat nemora; & nullas pastoribus umbras  
 Præbebant sylvæ, nullum dabat aura levamen.  
 Ille gregem miseratus, & acri concitus æstu,  
 Sublimem in Solem vultus & lumina tollens,  
 Nam quid, Sol, te, inquit, rerum patremque Deumque  
 Dicimus, & sacras vulgus rude ponimus aras,  
 Maestatoque bove & pingui veneramur acerrâ,

Si nostri nec cura tibi est, nec regia tangunt  
 Armenta? an potius Superos vos arbitrer uri  
 Invidiā? mihi mille nivis candore juvencæ,  
 Mille mihi pascuntur oves: vix est tibi Taurus  
 Unus, vix Aries cœlo (si vera feruntur)  
 Unus, & armenti custos Canis arida tanti.  
 Demens quin potius Regi divina faceſſo,  
 Cui tot agri, tot sunt populi, cui lata ministrant  
 Æquora, & est Superis ac Sole potentia major?  
 Ille dabit facilesque auras, frigusque virentum  
 Dulce feret nemorum armentis, æſtumque levabit.  
 Sic fatus, mora nulla, sacras in montibus aras  
 Instituit regi Alcithoo, & divina faceſſit.  
 Hoc manus agrestum, hoc paſtorum cætera turba  
 Exequitur: dant thura focis incensa, litantque  
 Sanguine taurorum, & fumantia viscera torrent.  
 Quæ postquam rex, in folio dum forte federet  
 Subiectos inter populos turbamque frequentem,  
 Agnovit, Divūm exhibito gavisus honore,  
 Non ullum tellure coli, se vindice, numen  
 Imperat; effe nihil terrâ se majus in ipsâ:  
 Cœlo habitare Deos, nec eorum hoc effe quod infra est,  
 Viderat hæc, qui cuncta videt, qui singula luſrat,  
 Sol pater; atque animo secum indignatus, iniquos  
 Intorsit radios, & lumine fulſit acerbo:  
 Aspectu quo terra parens, corruptaque ponti  
 Æquora, quo tactus viro subcanduit aër.  
 Protinus illuvies terris ignota profanis  
 Exoritur. Primus, regi qui sanguine fuſo  
 Instituit divina, sacrasque in montibus aras,  
 Syphilus, ostendit turpes per corpus achores.  
 Insomnes primus noctes, convulſaque membra

Senſit,

Sensit, & à primo traxit cognomina morbus,  
 Syphilidemque ab eo labem dixere coloni.  
 Et mala jam vulgo cunctas diffusa per urbes  
 Pestis erat, regi nec sæva pepercerat ipsi.  
 Itur ad Ammericen silvâ in Cartheside Nympham,  
 Cultricem nemorum Ammericen, quæ maxima luce  
 Interpres Divum responsa canebat ab alto.  
 Scitantur, quæ causa mali, quæ cura supersit.  
 Illa refert: Spreti vos ô, vos numina Solis  
 Exercent: nulli fas est se æquare Deorum  
 Mortalem: date thura Deo, & sua ducite sacra,  
 Et numen placate; iras non proferet ultra.  
 Quam tulit, æterna est, nec jam revocabilis unquam  
 Pestis erit; quicunque solo nascetur in isto  
 Sentiet: ille lacus Stygios fatumque severum  
 Juravit; sed enim, si jam medicamina certa  
 Expertitis, niveam magnæ maestate juvencam  
 Junoni, magnæ nigrantem occidite vaccam.  
 Telluri: illa dabit felicia semina ab alto;  
 Hæc viridem educet felici è semine sylvam:  
 Unde salus. Simul obticuit: specus intus, & omnes  
 Excussum nemus, & circum stetit horror ubique.  
 Illi obeunt mandata: sua ipsi altaria Soli  
 Instituunt: niveam, Juno, tibi, magna, juvencam,  
 Nigrantem, Tellus, maestant tibi, maxima, vaccam.  
 Mira edam: (at Divos juro & monumenta parentum)  
 Hæc sacra, quam nemore hoc toto vos cernitis, arbor,  
 Ante solo nunquam fuerat quæ cognita in isto,  
 Protinus è terrâ virides emittere frondes  
 Incipit & magnâ campis pubescere sylvâ.  
 Annua confessim Soli facienda facerdos  
 Ultori nova sacra canit. Deducitur ipse

## 94 HIERON. FRACASTORI

Sorte data, qui pro cunctis cadat unus ad aram,  
 Syphilus: & jam, farre sacro vittisque paratis,  
 Purpureo stabat tincturus sanguine cultros:  
 Tutatrix vetuit Juno, & jam mitis Apollo,  
 Qui melioreni animam miseri pro morte juvencum  
 Supposuere, feroque solum lavere cruento.  
 Ergo ejus facti æternum ut monumenta manerent,  
 Hunc morem antiqui primum statuere quotannis  
 Sacrorum. Ille tuum testatur, Syphile, crimen,  
 Victimâ vana, sacras deductus pastor ad aras.  
 Illa omnis, quam cernis, inops miserandaque turba  
 Tacta Deo est, veterumque luit commissa parentum:  
 Cui votis, precibusque piis, numerisque sacerdos  
 Conciliat vates Divos, & Apollinis iras.  
 Lustrati ingentes ramos & robora sanctæ  
 Arboris advectant tectis; libamine cuius  
 Vi mirâ infandæ labis contagia pellunt.

Talibus atque aliis tempus per multa trahebant  
 Diversis populi commissi è partibus orbis.  
 Interea, Europæ fuerant quæ ad cara remissæ  
 Littora, jam rursus puppes freta lata remensæ  
 Mira ferunt; latè (proh fata occulta Deorum!)  
 Contagem Europæ cœlo crebrescere eandem,  
 Attonitasque urbes nullis agitare medelis.  
 Quinetiam gravior naves it rumor in omnes,  
 Illo eodem classem morbo juvenumque teneri  
 Haud numerum exiguum, & totis tabescere membris.  
 Ergo haud immemores, diras cecinisse volucres,  
 Affore, quum sylvâ auxilium poscatur ab illâ,  
 Continuò faciles Nymphas Solemque precati,  
 Intacti nemoris ramos, & robora ab alto  
 Convectare parant luco, medicataque sumunt

Pocula,

Pocula, pro ritu gentis ; quo munere tandem  
 Contagem pepulere feram : quin dona Deorum,  
 Haud patriæ obliti, & felicem ad littora sylvam  
 Nostra jubent ferri, cœlo si forsitan isto  
 Affimilem pellant labem. Nec fata secundos  
 Ipsa negant Zephyros, facilisque aspirat Apollo.  
 Munera vos Divūm primi accepistis, Iberi,  
 Præsens mirati auxilium : nunc cognita Gallis,  
 Germanisque, Scythisque, orbe & gavisa Latino  
 Jam nunc Europam vecta est Hyacus in omnem.

Salve, magna Deūm manibus fata semine sacro,  
 Pulchra comis, spectata novis virtutibus arbos :  
 Spes hominum, externi decus & nova gloria mundi :  
 Fortunata nimis, natam si numina tantum  
 Orbe sub hoc, homines inter gentemque Deorum,  
 Perpetuâ sacram voluissent crescere sylvâ.  
 Ipsa tamen, si qua nostro te carmine Musæ  
 Ferre per ora virûm poterunt, hâc tu quoque parte  
 Noscêris, cœloque etiam cantabere nostro.  
 Si non te Bactra, & tellus extrema sub Arcto,  
 Non Meroe, Lybicisque Ammon combustus arenis,  
 At Latium, at viridis Benaci ad flumina ripa  
 Audiet, & molles Athesi labente recessus.  
 Et sat erit, si te Tiberini ad fluminis undam  
 Interdum leget, & referet tua nomina Bembus.

HIERONYMI

HIERONYMI FRACASTORII  
ALCON:

Sive, De curâ CANUM VENATICORUM.

**A**SSIDUIS nuper fessus venatibus Alcon,  
Falleret æstivi ut fastidia longa diei,  
Corvini quâ se nemora excelfissima cœlo  
Extollunt, viridi dum captat frigus in umbrâ,  
Dicitur ad juvenem senior sic fatus Acastum.

Me segnes artus, defectaque viribus ætas,  
Et superare juga, & latis discurrere campis,  
Et torquere leves hastas, & ferre pharetram,  
Nate, vetant, densaque indagine cingere sylvas.  
Sed te pulvereum cursu transmittere campum,  
Ferre æustum frigusque, leves agitare Molossos,  
Et pinguem sylvis ad tecta avertere prædam.  
Nunc decet, ac validam pro me exercere juventam,  
En arcum pharetramque tibi, jaculumque relinquo:  
Ne tamen usque adeo plenæ confide pharetræ,  
Ut postrema canum interea tibi cura putetur;  
Quorum ope veloces poteris prævertere cervos,  
Aut aprum ingentem, aut fulvum superare leonem.  
Ergo age, & hæc tecum semper mandata reserva.

Principio ut generosa canum tibi copia nunquam  
Desit, quæ certam valeat promittere prædam,  
Elige degeneri nequaquam semine natos,  
Sed quos assiduè sylvis exercuit altis  
Et labor indomitus, sævarum & præda ferarum.  
Nec verò paryi formiamque genusque putaris:

Nam

Nam neque sunt animi, neque mores omnibus iidem,  
Et variæ diversa canum dant semina gentes.

Nam rabidas si fortè feras te cura tenebit  
Venari, & variis caput objectare periclis;  
Spartana de stirpe tibi, de stirpe Molossà  
Quære canes; Libycos illis, acresque Britannos,  
Pannoniosque truces, & amantes prælia Celtas  
Adde; nec Hyrcanos, nec Seras sperne feroce.  
Si verò parvos lepores, capreasque fugaces  
Malueris, timidosque sequi per devia cervos,  
Delige Pannonios agiles volucresque Sicambros.  
Quod tibi si latebras abstrusaque lustra ferarum  
Rimari certà catulorum indagine cordi est,  
Hunc usum implebit Perses & Saxogelonus.  
At genere ex omni præsertim delige quæ nec  
Corpore sit gracili, nec densis aspera villis;  
Sed sublime caput, vivacia lumina, & amplam  
Ostentet frontem, atque ingentes oris hiatus;  
Cui rectæ surgant aures, cui pinguia terga  
Dividat in caudam descendens spina reflexam:  
Sint armi lati, sint æquè pectora lata,  
Lata alvus, quæ sic costis adjungitur imis,  
Ut tamen in spatiū sensim se colligat arctum;  
Ut cava diductis succedant ilia costis,  
Excipient siccis quas fortia crura lacertis.  
Ima pedum parvâ signent vestigia plantâ.  
Huic similem conjunge marem, cum vere tepenti  
Tangit amor genus omne avium, genus omne ferarum.  
Bis quinos tamen ante dies, accensus uterque  
In venerem, venere abstineant: sic plena libido  
Acrius extimulat, viresque ad semina præbet:  
Hinc major soboles, atque inde valentior exit.

Quæ

Quæ simul ac sese numero protulit ortu,  
 Selige de multis quos jam præstare videbis  
 Pondere: vel stipulæ flammis include sonoris  
 Ingentem turbam; proli nam mota periclo  
 Egregiam sobolem melioraque pignora mater  
 Ocyus eripiet flammis, & inertia linquet.  
 Illi igitur plenis ubi nondum viribus ætas  
 Accessit, parvum cursu descendere collem  
 Et molli assūscant sese demittere clivo.  
 Hinc tenerum leporem, vel crura infirma trahentem  
 Sectari capream, & facilem percurrere campum  
 Incipiat, verbisque viri parere vocantis.  
 Nulla mora est, ipsis crescent cum viribus anni.  
 Jam potes hos tuto densis committere sylvis,  
 Perque altos montes, per lustra agitare ferarum:  
 Nec minus aut apro, aut fulvo objectare leoni,  
 Si modo vel capreas, vel dedignabere cervos.  
 Immodicis tum parce cibis, tum cursibus illos  
 Exerce assiduis; ac mox ad tecta reversi  
 Vincla pati discant: ita denium libera colla,  
 Cum res ipsa ususque vocant, majore feruntur  
 Impete, nec cursum remoratur pigra sagina.  
 Hactenus in sylvis catulos eduximus altis:  
 Nunc quæ morbosis sit cura adhibenda, docebo.  
 Insomnes cum fortè canes occulta fatigat  
 Vimque adimit febris, putrem tunc ore cruentem  
 Ferro emitte levi: dein Bacchica dona rosarum  
 Misce oleo, & rapidis simul omnia concoque flammis;  
 Terque die inserto demitte in guttura cornu.  
 Si verò nimio venandi langueat æstu,  
 Butyro lapathi succos, Siculique Lyæi  
 Poscula, contusumque piper simul omnia miscens.

Pro-

Prosubige: ut certi simul ac commixta liquoris  
 Prætulerint speciem, cupido canis hauriat ore.  
 Immodicam sed fortè sitim dum sublevat atro  
 Fonte canis, lymphæ mala si successit hirudo,  
 Cimiceo suffire canem nidore licebit;  
 Aut oleo ptisanam & spumanti melle subactam  
 Incoquere, offensoque cani præbere vorandam.  
 At cum tetra lues, clavos dixerit, palatum  
 Afficiet miserè, silvestria sesama, necnon  
 Bacchi acidos latices, & chartam sume peruftam,  
 Atque Ammoniaci frustum: dein singula in unum  
 Confundens, tetræ causam super illine pestis.  
 Tum verò, ardentes oculos inimica perurit  
 Cum tabes, crebræque fluunt à lumine guttæ,  
 Jam frondes sacræ myrti, silvestris & uvæ,  
 Arentesque rosas diluto concoque Baccho,  
 Hisque affecta levi citus ablue lumina dextra.  
 Inde oleum, atque ovi niveos immitte liquores.  
 Quod si nativo stimulatur coxa dolore,  
 Lemiuolum lapidem (Meditem nomine dicunt)  
 Urina semel atque iterum demerge recenti:  
 Cui Bacchi dulces, acidosque adjunge liquores,  
 Quaque lajet pestis sumptâ circumline pennâ.  
 Ast ubi rupta novo manabit sanguine vena,  
 Tum murem geminum ac telam pendentis arachnes  
 Ure foco, cineremque undanti impone crux:  
 Proderit & ferro candenti tangere vulnus.  
 Obstructo verò lotii cum fortè meatu  
 Vexari aspices catulum, Cerealia dona  
 Objice, lacte prius simæ perfusa capellæ.  
 At contra venis si quando sanguis apertis,  
 Pro facili urinâ, terram madefecerit atram,

Con-



# 100 HIERON. FRACASTORII

Coveniet lente ferventi lactis aheno  
Mollire, & temues coriandri immittere succos,  
Infractumque piper, laticemque undantis olivi,  
Insertoque cani paulatim infundere cornu.  
Quid? taceam nimio quum decidit ungula cursum?  
Frangere namque juvat pallentis grana cumini  
Dentibus, admotaque pedem lenire salivam:  
Incipientque novi subcrescere protinus unguis.  
Fit quoque ut immundo catulus juguletur ab cestro:  
At tu silvestrem crepitantibus urere rutam  
Ignibus, & fumo pariter mulcere salubri  
Disce; dehinc acri perfundere vulnus acetum.  
Quin aures etiam muscarum turba molesta  
Impedit, usque adeo mutilatum appareat alter  
Ut caput: ipse autem venienti occurre periclo,  
Et prius has nucibus viridique putamine tinge.  
Quid cum dura canes inter se prælia miscent  
Alter ut alterius percussus dente laboret?  
Tunc etenim cervi flammæ subiecta voraci  
Offa teres, oleo subigens frondentis olivæ  
Unguinis in morem, ac vulnus lethale perungens:  
Quanquam etiam possis ramenta inducere ferri.  
Namque venenifero serpentis faucius ictu,  
Quo valeat, scit sponte suâ reperire salubre  
Gramen, & ipse sibi nullo auxiliante mederi.  
Senserit at rabidos ubi morsus, protinus ipse  
Idæam rutæ foliis acrique Lyæo  
Junge picem, læsæque adhibe hæc medicamina parti.  
At mala cum scabies miseros depascitur artus  
Latrantum, & foedè miserable corpus adurit,  
Ceruflam, abdomenque bovis, resinamque tenacem  
Butyrumque recens viridantibus incoque sensim

Lentisci

Lentisci foliis, infectaque membra perunge.  
 Sed tunc præcipuè solerti mente cavendum est,  
 Cum rabie accensus nunc hos nunc impetit illos,  
 Ipsi infensus hero, datque insanabile vulnus.  
 Ergo illum primo validâ compesce catenâ:  
 Inde rōsæ agrestis radicem pondere faxi  
 Contusam vivi fontis consperge liquore,  
 Ut potus speciem lino colata nigrenti  
 Præferat: hâc sumptâ revocari ad pristina tradunt  
 Senâ canem, ac positâ rabie mitescere rursum.  
 Sunt qui silvestres ficus adipemque vetustum  
 Contundant: ederas alii ferventibus undis  
 Emollire jubent, donec pars una supersit  
 E tribus, atque ipsis foliis tepidoque liquore  
 Pascere quadrupedem aurorâ surgente furentem.  
 Nil tandem usque adeo prodest, ac prima sub ipsum  
 Principium morbi rescindere semina ferro.  
 Nam quâ parte imo conjungi lingua palato  
 Cernitur, & fauces nativo concolor auro  
 Occupat, in rabiemque feros agit usque Molossoſ  
 Vulnificus vermis, suffunditque ora veneno.  
 Quem si quis potuit ferro refecare, potentem  
 Is tanti abstulerit caufam stimulumque furoris.  
 Quæ superant, olim: nunc prædam ad tecta jacentem  
 Ferre monet præsens fugientis temporis hora:  
 Quandoquidem calamos posuit Corydallus acutos,  
 Et jam sublustræ invectat luna tenebras.

P

C

S  
M  
S  
T  
N  
C  
G  
L  
G  
L  
L  
L

S E L E C T A  
**P O E M A T A**  
**I T A L O R U M.**

P A R S III.

MARCI HIERONYMI VIDÆ

C R E M O N E N S I S

B O M B Y C U M, L I B. I.

**Q**UOS mores, quas aut parvis reptantibus artes  
 Jupiter addiderit, quæ fila tenacia Serum  
 Ore vomunt saturæ, vos mecum evolvite Nym-  
 Seriades, vos lanifici gregis aurea nôstis [phæ  
 Munera, quæ pater Italæ prior intulit olim  
 Serius, huc patriis Serum devectus ab oris.  
 Tuque ades, & nostro succurre, Isabela, labori,  
 Nympha Padi in ripâ magnis è regibus orta,  
 Quæ gentem pulchrâ auxisti pulcherrima prole  
 Gonsagam, exiguis ades huc non aspera cœptis.  
 Et vos ô placidæ properate, ubi quæque, puellæ:  
 Vestrum opus hoc, vestros faciles hîc discite cultus.  
 Id tineæ in sylvis multis volventibus annis  
 Gentibus ignotum vixit genus: aurea frustra  
 Edebant opera umbris eris pendentia ramis.  
 Nam pluviæ latéque immites omnia venti

H

Vasta-

Vastabant, tenui nec honos, nec gloria filo  
 Ulla erat, in sylvis ceu quondam more ferarum  
 Degebant homines antiquo robore nati.  
 Nondum urbes, nondum certos gens dura penates  
 Noverat, aut ulla vitam excoluisse per artes.  
 Verùm postquam homini est divini muneris usus  
 Traditus, in tectis atque intra septa domorum  
 Sylvestres tineas alere, atque impendere curam  
 Cœpit, opes multi hinc ad summas emersere.  
 Quamvis esse aliquas etiam nunc fertur in oris  
 Longè aliis gentes, quæ nondum in tecta relatas  
 Per lucos errare sinunt, nulloque labore  
 Fila suo carpunt oneratis mollia ramis.  
 Nam multum assuetæ arboribus frondentibus illæ  
 Pūbentes sylvas, & quæque tenerrima carpunt,  
 Injussæque instant operi: non horrida multum  
 Flabra nocent, neque provisi prudentibus imbræ.  
 Quippe ubi senserunt in nubes aëra cogi,  
 Diffugiunt trepidæ, foliisque sub omnibus hærent;  
 Securæque hyemis velut altâ ex arce sonantes  
 Accipiunt Austros, agitantesque obvia nimbus.  
 Sed tu ne, moneo, in sylvis permitte vagari  
 Incustoditas, nec curam adhibere recusa  
 In tectis: hujus non gratia parva laboris.  
 Haud longum tempus fluet, & jam stamine multo  
 Dives eris, filoque ibis spectabilis aureo.

Principio ne te lateat quæ tradita agendæ  
 Sint illis vitæ spatia; brevis omnibus ætas:  
 Vix ulli Lunæ completur tertius orbis,  
 Et nunquam ex se prolem videre creatam.  
 Intereunt omnes, pecus occidit onine quotannis,  
 Et cunctam evertunt fera fata ab origine gentem.

Immortale

Immortale tamen restat genus his, neque morti  
 Est penitus locus, æternum nam semina durant.  
 Ceu quondam sylvæ si forte aut frigore diro,  
 Aut æstu arescant summæ, tamen abdita quædam  
 Vitalis superat vis in radicibus imis,  
 Et truncō exciso nova vere repullulat arbos :  
 Non secus extinctis bombycibus annuus ortus,  
 Usque nova in regnis proles succedit avitis.  
 Ne vero ante diem, sed tempestiva creata  
 Sit soboles, veto ne revoces in luminis oras  
 Progeniem extinctam, attonsis cum gramina campis  
 Nondum ulla, aut frondes apparent arbore nullæ.  
 Ante novâ incipiat morus revirescere sylvâ,  
 Neve famæ teneris, neve obsint frigora alumnis.  
 Ipsi etiam morum agricolæ, ne tempora fallant,  
 Observare solent : nam cum se se illa virentem  
 Induit in frondem, nostris tum protinus oris  
 Excessisse hyemem, & manes abiisse sub imos  
 Nil dubitant ; nec sæva ultra pecorive fatisve  
 Frigorave glaciemve timent, canamve pruinam.  
 Præterea tibi Lunaï gelidæ incrementa  
 Sunt servanda : senescenis fuge tempora læva.  
 Nec tum etiam liquidis cum se nuper ab undis  
 Extulit oceani, pallentesque humida vultus  
 Ostendit gracili incedens per inania cornu,  
 Utile erit teneros ovis excludere foetus.  
 Expecta cum plena animis, cum lumine largo  
 Solis ab igne tumens, altumque per æthera vecta  
 Carpit iter, fratremque audet se attollere contra.  
 Tum fas foeturæ, tum justum incumbere tempus,  
 Quandoquidem validas crescenti à lumine vires

Semina concipiunt genitalia: tum favet æther,  
Majoremque trahunt nascentia membra vigorem.

Quo foveas autem pacto, mos ipse fovendi  
Haud simplex: sunt quæ calido sub sole relinquunt  
Ova, recens donec fœtus in luminis atras  
Prodierit: tu conde sinu velamine tecta,  
Nec pudeat roseas inter fovisse papillas,  
Si te tangit honos, & flavi gloria fili.  
Cumque dies alterque dies processerit, ecce  
Cerriore erit formis fervere animantia miris.  
Ante opus omne tamen pete matutina Deorum  
Limina, ferque preces supplex, Divisque litato  
Auspiciobus cunctorum operum, cum mane sacerdos  
Sinceram Cererem, & Lenæum libat honorem.  
Nec non lanicii florem velamina prima  
Suspenderet templis: avertunt omnia fœtu  
Munere placati Superi mala, frigora & æstus,  
Et quæ multa solent bombyci instare pericla.  
Interea populis sedes & tecta futuris  
Ipsa novare jube, tabulataque victa senectâ.  
Non aptæ sine sole domus, sine luce penates:  
Sed duplices rectâ lumen regione fenestræ  
Admittant, quarum surgentes altera Phœbi  
Spectet equos, fessos contrâ altera jamque cadentes.  
Tum vitri pelluentes opponere quadras  
Hinc atque hinc jubeo, lini aut firmissima texta;  
Ut neque concutiant venti, neque nubila nimbis  
Conspergant, obsitque intus penetrabile frigus.  
Nec postrema suit cautis prætendere cura  
Retia rara: avium insidias, & callida furta  
Averte; illudit passer custodibus olim  
Improbis, illudit chortis cristata volucris:

Dant

Dant stragem passim rostris immittibus, impletisque  
 Ingluviem, ac vivo viva abdunt corpora busto.  
 Nec, quibus est tineæ felicis copia multa,  
 Parietibus sedem affigunt, sed quatuor æquis  
 Tectorum in medio erectis hinc inde columnis  
 Plurima suspendunt tabulata, aulæque per altos  
 Surgunt mille gradus, digestæque ordine sedes.  
 Tuque etiam, variæ ut nequeant irreperere pestes,  
 Parietis antiqui vitium ne negligo segnis :  
 Sed calce aut cretâ linito, atque angusta vjarum  
 Quæque time : mus saepe cavis feso addidit imis  
 Luce latens, at cum tenebris cinis occulit ignem  
 Sopitum, indulgetque gravi custodia somno,  
 Improbus egreditur tutis ad furta latebris,  
 Et citus irreptat tabulis, saevitque per omnes  
 Cæde madens aulas, prædamque avertit ab altis  
 Porticibus satur, atque cavis epulatur in antris.  
 Molire insidias, deceptum carcere claude,  
 Ignarusque doli sibimet sua vincula necstat,  
 Dum petit ostensam confidentissimus escam.  
 Quædam etiam trabibus, quibus omnis machina rectis,  
 Nititur, auxiliantur, & imas sentibus armant,  
 Sentibus & tribulis ; ac juniperi hirsutæ  
 Vulnificos addunt gladios, circum undique ut hostis  
 Indeprensus eat saltem per vulnera mille,  
 Nec referat captam multo nisi sanguine prædam.

Verùm age, vix tenebras pepulit lux tertia rebus,  
 Ecce sinu incipiunt tepido calefacta moveri  
 Semina, jam visenda nobis animalia formis  
 Irrepunt, passimque albis mantilibus errant.  
 Ne verò jam tum hæc thalamis sublimibus infer :  
 Exiguus primùm sobolem capiet locus omnem,

Corpora deinde auctæ cunabula prima relinquunt:  
 Tum cunctam in populos, in vicos divide gentem;  
 Divisæque dabis sedes, secretaque regna.  
 Nec satis hoc semel; at quoties his arcta videbis  
 Esse domus spatia, augmentur dum corpora cuique,  
 Has toties legeire, inque novas deducere sedes  
 Ne dubita, donec tabulas impleveris omnes.  
 Nec tamen interea parvas non pascere oportet.  
 Ut primum hauserunt cœli auras, pabula poscunt,  
 Affluescunt jami tum dapibus, mensasque requirunt.  
 Sed prodest, nondum thalamos experta puella  
 Prima manu tenerâ teneras si pascat alumnas.  
 Primam autem mori pubem, atque tenerima semper  
 Quæque legunt, dum gressus tener est, atque inscius ævi.  
 Continuo veterum veluti memor ille parentum  
 Agnoscit vescas frondes, ipsasque recentes  
 Deposcit: nam si plenis serventur in horreis  
 Hesternæ, dulcis succi corrumpitur aura,  
 Et sapor ingratus subit, atque inamabilis haustu.  
 Mane petunt igitur sylvas, & quâque reportant  
 Pabula lecta die famulæ, gratumque laborem  
 Sortitæ in se folia illibata canistris  
 Expediunt, legit illa, domum fert altera lecta,  
 Instaurant aliæ mensas, epulasque ministrant,  
 Pabula larga superjaciunt pecus omne tegentes.  
 Protinus emergunt tineæ, folioque jacenti  
 Viëtrices super assistunt, omnisque juventus  
 Vescitur, atque avidæ dapibus implentur opimis.  
 Fit strepitus, longè qualem olim sœpe solemus  
 Cum pluit in tecto clausis audire fenestræ.  
 Nec mora, nec requies; properant, & grandia morsu  
 Attendent folia emenæ, reduntque iterumque

Incumbunt,

Incumbunt, longam nequeunt explerier alvum,  
 Dum superant frondes, & plenæ pabula mensæ.  
 Tuque ideo parcis epulas moderare canistris,  
 Terque die tantum pasces: nam prodiga cunctam  
 Si frondem simul effundas, fine more, dapesque  
 Accumules, mensasque oneres, avertitur ultrò  
 Ingratam saturum morum pecus, atque repente  
 Ipsa parit largi fastidia copia victus.  
 Paulatim invita; metuant sibi pabula semper  
 Deficere, expestantque dapes: prius injice ludens  
 Frondem unam, ac certare sine; illæ protinus omnes  
 Arrexere animos cupidæ, prædamque capeſſunt  
 Certatim, pariterque ingens subit ardor edendi.  
 Tum demum solitas epulas effunde canistris,  
 Dum dapis optatae fuerit comprefſa libido.

Sed ne longa fames noceat tamen aspice prudens,  
 Dum nimium differs epulas & gaudia mensæ:  
 Nam soliti impatis si defit copia victus,  
 Nulla mora est, miseras macies deformat iniqua:  
 Pabula deinde parùm exhaustis duplicare juvabit,  
 Et vix longa dies lapsas in pristina reddet;  
 Dira fames adeo nocet, & penuria edendi.

Quinetiam haud parvi mutari pabula refert:  
 Est bicolor morus, bombyx vescetur utrâque,  
 Utraque grata illi; cui verò affuerit, eandem,  
 Nigra albensve fuat, nullo discrimine amabit;  
 Quamvis Aufoniis laudetur nigra puellis.  
 Fortè etiam si deficiant folia omnia mori,  
 Et subito sylvæ (Dii talem avertite casum)  
 Thisbææ areſcant nimio æſtu, aut frigore, quæreris  
 Quasnam tum, pereant ne res tibi funditus omnes,  
 Bombyci jubeam legere & summittere frondes.

Orandi Superi eveniant ne talia nobis :  
 Si tamen urgeris, conscedat robora pastor  
 Ulmea per sylvas, & summa cacumina carpat.  
 His etenim arboribus multum est affinis origo ;  
 Jamque ideo agricolæ morum didicere per agros  
 Inserere umbrosæ ramis ingentibus ulmi,  
 Et steriles sylvæ nunc dant bicoloria mora.  
 Sunt aliæ, quæ, si foetus sibi nascitur antè  
 Quam Thisbæa novis adolescat frondibus arbos,  
 Urticamque rubosque legunt, dum plurimus humor  
 Vere subest. At tu teneris nunc parce puellis,  
 Crura manusque arment facito ; nec robora dura  
 Ascendat permitte in sylvis innuba virgo :  
 Verum operum patiens anus, & cui durior annis  
 Sit cutis (ingratæ facilis jactura fenectæ)  
 Munere fungatur tali, ne fortè quis altis  
 Egressus sylvis Satyrorum è gente procaci  
 Suspiciat, teneræque pudor notet ora puellæ.  
 Illa quoque in primis cura est, ut pabula semper  
 Sicca legant, nullaque fluant aspergine sylvæ  
 Aut pluviæ, aut roris nocturni ; quippe venenum  
 Sæpe fuit quamvis tenuis bombycibus humor.  
 Nunquam igitur, cum nox horis filet intempestis,  
 Accedant sylvam ; expectent dum gurgite Eœ  
 Tethyos exierit, sursumque eduxerit omnem  
 Collectum noctis humorem purpureus Sol,  
 Et jam tres, scandens supera alta, peregerit horas,  
 Quod si fortè etiam fuerit tunc humida sylva,  
 Ut potes, è foliis stillantem decute rorem.  
 Profuit &, si quando matutina pruina  
 Perstrinxit teneras frondes, ostendere Soli  
 Cratibus impositas, & frigora vincere flammis.

Cumque

Cumque tibi fuerint suspecti denique nimbi,  
 Appropera, calathos cape, moros scande, ministras  
 Voce voca, mitte in sylvas, sine lege legunto  
 Obvia quæque, penum foliis atque horrea comple,  
 Ne, dum sævit hyems, perdant jejunia pubem  
 Lanivomam, at partâ securæ fronde fruantur.  
 Quod si adeo subitum cito non prævideris imbre,  
 Ne turpi rigeat macieque, fameque senescat  
 Omne pecus, validos in sylvas mitte colonos,  
 Qui tibi utrâque manu nunc huc, nunc robora & illuc  
 Crebra agitent, frondem patulis tu impone canistris  
 Rorantem, quando fatis urgemur acerbis.

At labor interea famulas exerceat alter;  
 Cura sit hesternæ fomesas tollere mensæ  
 Relliquias, tabulisque immundam avertere ventris  
 Proluviem: mane antè pecus quàm pabula gustet,  
 Tergendæ sedes, & gramine pverrendæ.  
 Tum Bacchi irrorant gratum benevolentis odorem,  
 Purgatisque abigunt tabulis tristem omnibus auram.  
 Hinc leviter digito medicatis sedibus omnes  
 Traducunt cœtus lætos melioribus auris,  
 Nec super extremas errare licentius oras  
 Permittunt; semper media ad penetralia cogunt,  
 Præcipitesque timent lapsus, altasque ruinas.  
 Huic generi facilis lethi via: protinus ægras  
 Delapsæ effundunt animas, lucemque relinquunt.  
 Siqua tamen supereft, & cœli vescitur aurâ,  
 Post casum, inspicio: nam si pars corporis ulla est  
 Læsa tibi deprena, aliarum sedibus ultro  
 Projice, nec frustra libeat tibi pascere inertem:  
 Nullam operam omnino, nullam expectabis ab illâ

Certè

Certè opus; ignavum deducet inutilis ævum,  
Et comitum egregias tantum mirabitur artes.

Sæpe etiam impastas averti pabula cernes,  
Sopitasque gravi veluti torpere veterno  
In tabulis: hic parce metu, ne corpora morbus  
Fortè aliquis, gentemque lues invaserit ægram.  
Hunc illis morem, natura hunc ipsa soporem  
Addidit; indulgent somno, stratisque quiescunt,  
Sopitisque dies alter transibit & alter:  
Cum vero expulerit noctem lux tertia rebus,  
Consurgent, lætæque ad pabula nota redibunt.  
Ergo illas tumidas jubeo observare, nec ingens.  
Nosse labor, ne improvisus sopor occupet: ultrò  
Signa dabunt ipsæ; cœlo capita ardua tollent  
Arrectæ, spernentque dapes. Tum pigra notabis  
Corda, animos resides, insueta silentia mensis.  
Non tamen adveniet somnus simul omnibus idem:  
Insomnes aliquæ vigilant, dum turba quiescit  
Cætera, nondum aptæ teneros quibus alliget artus  
Irrepens sopor; advenient sua tempora & illis,  
Atque omnes tandem demittent lumina somno.  
Cura sit interea insomnes legere atque vagantes,  
Secretasque aliis aliam cito transfer in aulam:  
Sopitæ stabulent simul; his par omnibus ætas.  
Unâ operi incumbent, & eodem tempore sese  
Artibus exolvent supera ad convexa volantes.  
Dumque Deus stratis thalamisve silentibus ales  
Regnat lethæo perfundens corpora rore,  
Pabula subtrahito solita, frondemque negato.  
Nam tumidæ interea renovant torpentia alumnæ  
Corpora, & exuvias veteres ac tegmina ponunt,  
Et nitidam induitur pubes renovata juventam.

Ceu fodere domos serpentum ubi lubrica turba  
 Sub terram, veniente hyeme; stant frigore inertes,  
 Dum redeat terris tepidi clementia veris:  
 Tum demum egressi ad Solem squalentia terga  
 Convolvunt, positâ turpi cum pelle senectâ.  
 Annuus hic illis mos; at bombycibus ipfis  
 Ter pigra, dum vivent, renovabit corpora somnus.

Jamque age, jam grandes foetus, jam ducitur ætas  
 Ultima, turgenti filum tralucet in alvo  
 Omnibus: accingunt alacres, operique parant se.  
 Pabula jam saturæ fugiunt; nova quærere regna  
 Ardor agit: tollunt oculos arrectaque terga.  
 Omnia vestigant latè loca, sicubi rami  
 Arbutei, per quos sua possint tendere fila,  
 Atque novis priscos cupiunt mutare penates,  
 Et tabulâ extremis pendentes sedibus hærent.  
 Tum famulæ properare, omnes provisa parare  
 Sarmenta, & steriles tectis inferre genistas.  
 Jamque illæ antiquas sedes supera ardua linquant,  
 Atque nova hospitia invadant per vimina lenta  
 Demissæ, nisi succurrat nuruum ocyus omnis  
 Hinc atque inde manus durum miserata laborem.  
 Ipsæ nam manibus secernunt grandia natu  
 Corpora, jam matura operi, jamque apta labori,  
 Per ramosque locant arentes agmina densa.  
 Summotas alias arcent, dum funditus omnes  
 Corporeæ excedant labes, ac temporis orbe  
 Perfecto sua cuique dies exemerit omnem  
 Alvi insinceræ illuviem, purumque relinquat  
 Lanicum, & fili tralucens simplicis aurum.  
 Sic ubi mitescunt pendentes vitibus uvæ,  
 Paulatim liquor ille intus rarescit, & aureus

Accedit

Accedit color, eluent purissima musta.

Tum demum tabulis passim farmenta relicts

Complerunt omnes, perque atria virgea lætæ

Exercentur, & effundunt quæsita per ævum

Stamina ditis opes uteri, suspensa que densos

Fila regunt inter ramos, atque ordine ducunt.

Mille legunt releguntque vias, atque orbibus orbes

Agglomerant, cæco donec se carcere claudant

Sponte suâ: tanta est edendi gloria fili.

Mox autem clausæ interius circum undique lecta

Stamina condensant, teretisque ovi instar opus fit.

Nullæ operum immunes: est omnes cernere passim

Noctes atque dies niti præstante labore,

Et quasi de palmâ summas contendere vires.

Aspicias quasdam incipere, primumque laborem

Tendere adhuc, quasdam obscuro jam carcere clausas.

Ast aliæ velut in nebulâ fumoque nigranti

Nunc etiam apparent properantes intus; & omnes

Fas oculis spectare vias, variumque laborem.

Quin & nonnullæ paribus communia curis

Associant opera, & nebulâ clauduntur eadem.

Quædam adeo (visu miserabile!) sœpe repertæ,

Dum tendunt superare alias, instantque labori,

Vitam opere in medio clausæ sub nocte dedisse

Ante diem, ah miseræ! jacuit labor interruptus.

Parva mora est tamen: ut se aliæ inclusere latebris,

Extremoque manum summam imposuere labori,

Exhaustæ intereunt omnes, terrasque relinquunt.

Ite animæ egregiæ fortunatæque laborum,

Ultro in fata alacres! vobis nempe altera fatu

Corpora debentur; vobis miserata priorem.

Eripiet

Eripet formam Venus, atque ad dulcia reddet  
Lumina, & aëreas rursum revocabit in auras.

Prima Venus docuit bombycem in tecta referre  
Eductam sylvis, atque hanc impendere curam.  
Ante homines nati durum genus ilice ruptâ  
In sylvis nudi degebant more ferarum ;  
Necdum ullus lini, necdum ullus velleris usus :  
Verum dura hyemis pellebant frigora, noctisque  
Humorem, fruticum se frondibus involventes,  
Et liquidos imbres vitabant arbore tecti,  
Per noctemque cavis latitabant rupibus hirti.  
Hic illuc misti latos impune per agros  
Cum nudis nudi juvenes errare puellis.  
Ast ubi crescenti paulatim cognitus orbi  
Irrepsit pudor, exuvias cœpere ferarum,  
Aut tergo bovis, aut villoſi pelle leonis  
Se tegere, & coriis involvere mollibus artus.  
Ipsi etiam nudi degebant æthere in alto  
Cœlicolæ, cœlique nurus, discrimine nullo.  
Prima Deûm Pallas docuit committere campo  
Enodis lini segetem, & tondere bidentem  
Lanigeram, ac tenui telas intendere filo.  
Illa quidem primum vario se ornavit amictu,  
Egregiam picto pallam circundata limbo.  
Mox alias etiam texit ditissima Divas :  
Nec mora, deinde novam ostendit mortalibus artem :  
Tantum nuda Venus mœrebatur muneris expers  
Egregii, ob formam textrici invisa Minervæ,  
Atque irriga diu super Idalium frondosum  
Se natosque suos in sylvis condidit atris ;  
Cui post optanti fors & Deus attulit olim  
Auxilium ; nam Peliacis te in montibus altis,

Phyllira,

Phyllira, nympharum pulcherrima montanarum,  
 Saturnus captus formâ & florentibus annis  
 Viderat errantemque, & grama certa legentem.  
 Ah, quoties precibus nympham Deus aspernante  
 Tentavit supplex, ingrataque munera verbis  
 Addidit! Ah, quoties nimboſis montibus errans  
 Matutinus iter tulit, & monstravit in agris  
 Præſentes morbis herbas, uſumque medendi!  
 Illa aversa Deum ſemper fugiebat amantem.  
 Quid faceret! Venerem supplex adit ipſe, rogaſque  
 Auxilium, & meriti promittit præmia tanti.  
 Diva monet duræ fruſtra præcordia nymphæ  
 Tentari, nulli pectus penetrabile amori,  
 Nec precibus nec muneribus mutarier ullis;  
 Fallendamque dolis tantum, furtisque domandam:  
 Ergo ſe in faciem ſubito transformet equinam  
 Imperat, & paſcat quâ grama ſueverat illa  
 Quærere, ut ignaram furto aggrediatur opertus.  
 Nec mora præceptis; hinnitu Pelion altum  
 Clausus equo Deus implevit, votoque potitus  
 Vi tenuit fruſtra pugnantem, & multa recuſantem.  
 Exin promeritæ Veneri pro munere magno  
 Semina clauſa dedit niveo tenuiſſima linteo,  
 Et meriti memor, his, inquit, pulcherrima texes  
 Diva tibi inſignes tunicas, nihil indiga lanæ,  
 Aut lini, quæ dona negat tibi iniqua Minerva.  
 Hinc præcepta dedit, divinam & prodidit artem  
 Quam primus, nati fugeret cum protinus iras,  
 Deprendit ſolis meditando in montibus olim.  
 Inſuper admonuit venturi præſcius ævi  
 Quondam aliquos (ſed enim multò pōſt) affore vates,  
Qui

Qui totum cānerent p̄aeclara inventa per orbem,  
Gratum op̄s Ausoniis, dum volvent fila, puellis.

## LIB. II.

**R**Ursus ades, Nympha, inceptum jam perfice munus,  
O decus Italidum fortunatissima matrum,  
Quæ vastas fessæ Italiæ miserata ruinas  
Haud dubias pulchrâ spes nobis prole tulisti.  
Tu jam lætā tuos natos præstantibus ausis  
Cœlicolas ipsos supra se ferre videbis.  
Aspice jam quantas ostentet corpore vires  
Federicus puer, ut vultu decora alta parentum  
Spondeat, ut veniant scintillæ ardantis ab ore,  
Flagrantesque micent oculi, utque horrentia semper  
Bella sonet, puerique agitet se pectore Mavors:  
Jamque adeò nunc arma placent, jam servidus acri  
Gaudet equo, indomitusque animi, cupidusque pericli.  
Hunc jam regna Asiæ metuunt, Oriensque subactus,  
Gangesque, Tigrisque tremunt, atque Indus Hydaspes.  
Sæpe hunc Euphratae propter vaga flumina Eoæ  
Bellantem aspicient multa inter millia matres,  
Horrescentque animis hostem, pariterque timebunt  
Egregio juveni, cæcoque urentur amore,  
Præstanti captæ formâ & juvenilibus annis.  
Gaudia mox trepidæ referet tibi quanta revertens,  
Ultus avos Graium, Sclymorumque eruta templa!  
Tunc illum, Mincî in ripis facta amplâ canentes,  
Carminibus tollent sublimem ad fidera vates.  
Lanificas nos interea revocamur ad artes,  
Frondosæ invitant rufus sub tegmine mori  
Seriades, gratâque legunt è fronde coronam;

Quando

Quando nondum ausim laurum sperare superbam,  
Aut caput intonsis hederarum innectere ramis.

Ergo age, farmentis dum se super aurea bombyx  
Exercet, nitidumque edit de pectore filum,  
Nempe tuæ interea prorsus nihil indiga curæ est,  
Dum novies roseus se laverit æquore Titan;  
Disce laboranti pecori non pigra mederi,  
Tristibus & morbis occurrere. Vos quoque nostri,  
Parvæ animæ, exercent per tot discrimina casus,  
Vestraque pallentes infestant corpora morbi.  
Corruptâ sive illa lues cœli influit aurâ,  
Seu vitio infectæ frondis, gens labitur ægra,  
Et coetus subito serpunt contagia in omnes:  
Invadit mors, intereunt data corpora letho,  
Et thalamis passim tetro manantia tabo  
Fusa jacent: perit omne pecus, spes irrita fili.  
Dii teneros, Dii vos fœtus arcete periclis,  
Cum nondum morbis præsentes omnibus herbas  
Monstrarit natura, hominumve industria solers  
Nondum morborum causas deprenderit omnes.  
Multa tamen, longo quæ nos invenimus usu,  
Quæque alii docuere, tibi nunc dicere permag.

Nil adeò tineis fuerit præsentius ægris,  
Quàm subito è medio jucundo lumine cassas  
Tollere, ne totam perfusa cadavera tabo  
Latius incestent miscrando funere gentem.  
Nec minus inde tibi tristis contagia cœli  
Sit studium vitare; juvat cum lucidus æther,  
Cum noctis gelidum Sol rorem sustulit, & cum  
Inter se Alpinus Boreas atque humidus Auster  
Pacem agitant, vitro detraclo aperire fenestras:  
Quove almam lucem aspiciant, quove æthera purum,

Aurarumque leves animas & frigora captent.  
 Nempe intrò veniens, Zephyris variantibus, aër  
 Aëra dispellit pigrum novus, & graveolentes  
 Lustrat, agens sese, thalamos, variatque saluber,  
 Qui, nisi mutetur crebrò, corrumpitur, haustusque  
 Inducit varios reptantum in corpora morbos ;  
 Ceu puteis pigros latices nisi sæpius urnâ  
 Hauseris, ut subitò inde locum novus occupet humor,  
 Continuò sapor immotæ vitiatur aquaï,  
 Oraque potantum tristis perturbat amaror.  
 Tum verò ad solem blandique ad luminis auras  
 Exultare pecus videas, & corpora luci  
 Pandere. Non tamen immisso sub sole jacere  
 Securum fuit, aspiciant sed lumina longè.

Si verò fuerit gelidis Aquilonibus aër  
 Frigidus, aut nimbus spirantibus humidus Austris,  
 Protinus in thalamos inferri profuit ignes.  
 Ne tamen infestet lachrymosus lumina fumus,  
 Ipsos occuluere cavis fornacibus ignes ;  
 Unde aditus fumo sit nusquam in tecta, sed extra  
 Respirans Vulcanus in aëra fumet apertum.  
 At calor interea placidus diffunditur intus  
 Paulatim, & tepidi calidâ è fornace vapores.

Sunt etiam quæ, cum nigrescit foetibus arbos,  
 Incipiunt cum mora rubescere, pabula lecta  
 Retibus imponunt raris, in perque foratis  
 Pellibus, in gyrumque agitant, jaquantque per auras.  
 Namque cadunt, veluti per lata foramina grando,  
 Nigrantes baccæ, vel quicquid inutile mensis ;  
 Et tantum folia ipsa manent : quod solvere mollem  
 Alvum mora ferunt, tristesque inducere morbos.

Præterea liquido resperti corpora olivo  
 Mors erit extemplò, ah! miseris, lucemque relinquunt.  
 Ergo ubi nocte gregem famulæ & stabula alta revisent,  
 Edico procul ardentem deponere testam,  
 In tenebris ubi pingue oleum dépascitur ignis;  
 Ne super incautis gutta stillantis olivi  
 Decidat, ac totos deformet peste penates:  
 Usque adeò in Venerem longas exercuit iras  
 Infensam inventrix semper frondentis olivæ.  
 Exin cum liquor officiat bombycibus omnis,  
 Præcipuè sale qui fuerit vitiatus amaro,  
 Cum semel attigerit, miseris erit aere venenum,  
 Protinus elucet languentibus aurea pellis,  
 Deinde tument, turpisque animis ignavia venit  
 Desidibus; tandem rumpuntur, & omnia tetro  
 Inficiunt tabo: sanies fluit undique membris;  
 Nec quicquam falso Venerem æquore profuit ortam  
 Quædam ideo sylvas servant noctesque diesque;  
 Quandoquidem inventæ falso quæ pabula rore  
 Invidiâ infecere (scelus prohibete nefandum  
 Diique Deæque omnes!) cæcum & liquere venenum  
 In sylvis, quod mox foliis bibt inscia bombyx.

Area etiam strepitus: cantu cava cornua rauco,  
 Fistulaque horribili procul absit aënea bombo,  
 Tympanaque, & voces ludentis comprise pubis:  
 Invalidas sæpe exanimat leve murmur alumnas.

Sed neque tum pueri vastantes irrequietâ  
 Cuncta manu hic illic, stragemque impunè ferentes,  
 Jamque has jamque illas digitis dum tangere gaudent,  
 Introducantur; quos longè arcebisis, & ultrò  
 Absident, ætas si improvida ludificetur.  
 Verbis falle illos; tineas finge acre venenum

Inspirare

Inspirare animâ, vel spicula linquere caudis;  
Atque angues, colubrosque voca, dirosve chelydros.

Observabis item, ne qui gustaverit allii,  
Aut cepæ, aut acris porri illætabile virus  
Introeat, ne res pereat tibi funditus omnis.  
Bombycem exanimem vidi sæpe ipse jacere,  
Afflatam famulæ graviter spirantis odore.  
Continuò vis illa subit, naresque laceffit,  
Intimaque infestum venit ad præcordia virus.  
Non igitur cunctis aditus permiseris; illas  
Spectatum quicunque adeunt, quis spiritus ollis,  
Quis vultus, vocisque sonus, quis euntibus ultrè  
Sit gressus, qui oculive, notes. Discrimine nullo  
Limine anus omnes monstra infelia longè  
Pelle: nocent cantu tristes oculisve malignis.  
Intro autem tantùm juvenes pulchræque pueræ  
Ducendæ, queis forma ætasque ignara nocendi est.  
Hic impunè choros agitent, alternaque læti  
Idaliæ Veneri ac Saturno carmina dicant.  
Quandoquidem memini Tusci altâ in rupe Viterbi  
Ipse senem vidisse ferum, cui dira rigebant  
Ora, gravesque oculi suffecti sanguine circùm,  
Fronsque obsecena situ, hirtique in vertice cani:  
Ille truci (scelus) obtutu genus omne necabat  
Reptantum, tenues animas, parvasque volantes.  
Quinetiam siquando hortos ingressus, ubi annus  
Exuit expleto turpem novus orbe senectam,  
Floribus & passim per agros incanuit arbor,  
Ille hortis stragem dedit, arboribusque ruinam,  
Spemque anni agricolæ moesti flevere caducam:  
Nam quocunque aciem horribilem intendisset, ibi omnes  
Cernere erat subito afflatos languescere flores,

Mox album latè nimbum volitare per auras :

Nec tantum noceat raptor ferus Orithyiae,

Siquando iratus malè tutis incubet hortis.

Nostram igitur si fortè domum prætermet olim  
Pestis, & ira Deûm talis, cum plurima reptans  
Complevit sedes omnes, atque atria circùm,  
Non illum affari libeat longùaque morari ;  
Sed properate fores famulæ, properate fenestræ  
Claudere, pestiferamque avertite limine cladem.

Jam promissa diës terris lucem intulit almam,

Jam licet ingredere, artificum mirare laborem

Egregium, mirare artes, ut pendula ramis

Omnibus hæserunt varii glomeramina fili.

Qualiter autumni primo cum frigore in hortis

Arboribus pendent haud uno poma colore,

Sic hærent nitidi, vario discrimine, ramis

Folliculi : sunt quæ viridem traxere colorem

E foliis, quæ depasta est Saturnia bombyx,

Fila ; auri quædam électrique simillima puri :

Omnibus est reliquis color albi velleris instar.

Ergo ubi per ramos jam perfecisse laborem

Clausas, quamque suum, vigili exploraveris aure ;

Atque ubi nec strepitus, nec vim datur amplius ullam

Audiri, sed jam motus requieverit omnis,

Pelle moram, exonera ramos, impone canistris :

Carpe utrâque manu, & famulas properare jubeto.

Primus deinde labos extrema & inutile quicquid

Lanicii detraxe, & luxuriantia circùm

Vellera, quæ stupræ veluti nodosa puellæ

Ruris pensa trahunt torquentes pollice fila,

Unde sibi intexant festis gestanda diebus

Tegmina, cum lætas agitant per prata choreas.

Hinc

Hinc triplex delectus erit : meliora Deorum  
Imponunt aris ; aliqua in spem gentis, & anni  
Venturi ad sobolem servant de more creandam ;  
Cætera dein varios devolvunt vestis in usus.

Quæ vero in generis spem vis servare caduci,  
Deligo ex omni numero : neglecta quotannis  
Degenerat proles magis ac magis, atque propago  
Deterior tibi semper erit labentibus annis.  
Sed non ob sobolem multos servare necesse est  
Folliculos : capitum multorum semina partu  
Una dabit mater, centum quæque ova relinquet.  
Quos igitur fœturæ habiles provideris, omnes  
Connectes ducto per acūs vestigia filo :  
Sed parcens leviter terebrato, extremaque tantum  
Tangito acū tenui, ne inclusa cadavera ferro  
Ah ! violes, & res evertas funditus omnes.  
Post hinc consertos ita frigida sub loca conde,  
Aut Bacchi in cellâ sub terram, aut sicubi montis  
Exesi specus ardenti impénétrabile Phœbo,  
Ne calor absumat defuncta cadavera vitâ,  
Fata dabunt quibus ad jucundum surgere lumen  
Rursus, & in parvas volucrum se vertere formas,  
Cum primùm cœlo stellas aurora fugârit,  
Et decies roseos Sol laverit æquore currus.

Nam quondam (ut perhibent) cum primos aurea fœtus  
Nutriret Venus umbrosis in vallibus Idæ,  
Nuda cohors tenerum circum ludebat Amorum,  
Et nunc hic manibus temerè dare pabula blandis,  
Nunc illic tractare levi reptantia tactu  
Corpora, Acidaliosque toris diffundere flores.  
Dum verò incauti nunc huc, nunc protinus illuc  
(Fortè parens aberat) studiis puerilibus errant,

Impliciti inter se se altis in cratibus urgent.

Fit strepitus; portes vastarū traxere ruinam,

Lanifici stabula alta gregis: jacet undique bombyx

Fusa solo, exanimū ingentes (miserabile!) acervi.

Quam cladem accepit rediens ubi mater, & omnē

Cæde madere locum vidi procul, & genus omne

Funditus extinctum, totamque ab origine gentem,

Et famulas nusquam sibi, nusquam occurrere natos,

Qui se se abdiderant sylvis tacitiq[ue] latabant,

Infelix stetit ingenti perculta dolore.

Tum furiis acta huc illuc clamore suprēnum

Idalium implevit, natos famulasque requirens:

Nulla quies animo, noctesque diesque vagatur,

Incassumque gemens solos interrogat agros.

Infernās etiam sedes, atque atria Ditis

Ægra adiit, quo moestæ animæ post fata seruntur

Squamigerūm, pecudum, atque hominū, vitæque vo-

Si forte ipse sibi patruus, rex maximus Orci, lantum;

Annueret paucas animas in tarda reverti

Corpora, ut inde novam sobolem revocaret in auras.

Jamque ibant umbræ tenues Styga circumfusæ

Obscuram, nigrosque lacus, & rauca fluēta.

Tum dominæ adventu lātæ cīrcum ora volantes

Nondum oblita alis plausere, & signa dederunt

Lætitiae, nondum trans livida flumina vectæ.

Agnovit Venus, & secum est lætata répertis.

Quam Saturnius horrentis regnator Averni

Ut procul aspexit, multo est dignatus honore,

Permitisque animas in corpora tarda reverti

Rursus, ut extinctam sobolem revocaret in auras,

Seminaque his generis penitus repararet adempti.

Utque sequi possent dominam supera alta petentem,

Corpo-

Corporibus geminas renovatis addidit alas.

Hanc legem posuit tamen, ut genus omne quotannis  
 Alitis in faciem se post opera atque labores  
 Verteret, & nigros Orci bis viseret amnes.  
 Ut quosdam populos in Hyperboreā Pallene  
 Esse ferunt, qui, se ut novies Tritonide in undā  
 Merserunt, natis tollantur in aëra pennis.

Nonne vides, cum carceribus exire reclusis  
 Instant ardentes, quantā nituntur opum vi?  
 Clausa obstat domus, & fili densissimus ordo.  
 Nec mora, nec requies, vestigant omnia circūm,  
 Explorantque aditus omnes, si quā potis extrā  
 Rumpere, & optatæ rursum se reddere luci.  
 Ecce autem ut rostro follem terebravit acuto,  
 Protinus erumpit (visu mirabile monstrum)  
 Alitis in parvæ bombyx collecta figuram,  
 Et nova se rerum facies mirantibus offert:  
 Nam quæ longa fuit tinea olim, fit levis alis  
 Papilio, tineæ pallentes concolor artus.  
 Ergo carceribus cum rupit multa viam vis,  
 Et sese cæcis populi eripuere tenebris  
 Aligeri, atque iterum lucis venere sub auras,  
 Hærent attoniti rerum novitate, neque audent  
 Remigio alarum se aperto credare cœlo:  
 Dissimilesque sui tacitè nova corpora secum  
 Mirari, formâ nec sese agnoscere in illâ.  
 Cornua mirantur fronti, mirantur & alas,  
 Et vires nil supra audent tentare priores  
 Diffisi, memoresque sui: sed tum neque gustant  
 Pabula, nec vitæ quærunt alimenta prioris:  
 Tantus adhuc memores timor atri detinet Orci.  
 Nunc etiam ante oculos Styx livida, nigraque regna,

Tartareique canis tria guttura, monstraque Ditis  
Impacata, brevis ne vitæ gaudia quærant.

Idcirco aligeræ neque frondem suffice genti  
Incasum, neque potandos admoveris amnes.  
Carpe manu resides; & funibus insidentes,  
In tabulamque refer stratam velamine molli.  
Quippe, ubi subtracto se rursum ad fatâ vocari  
Senserunt viâtu, turbantur: tum simul omnes,  
Excidium veluti cœlo terrisque propinquum  
Inimineat, cum supremo mortalia cuncta  
Una dies dabit exitio; multosque per annos  
Sustentata ruet perituri machina mundi,  
Attoniti dubiis properant succurrere rebus.  
Concubitu indulgent omnes, ut semina gentis  
Munere defuncti vitæ post fata relinquant,  
Et servare genus valeant, stirpemque tueri.

Nec verò, velut in sylvis genus omne ferarum  
Alituumque vagos paßim furantur amores;  
Sed connubia certa, sed electi hymenæi:  
Ille suam tenet, illa suum; dulcique fruuntur  
Amplexu caudis ambo per mutua nexiones:  
Instant, & validis juncti compagibus hærent.  
Nec Veneris brevis usus erit, videlicet revincti  
Quartam saepe diem: nec quas legere relinquent,  
Donec uterque cadat: neque enim, si viribus haustus  
Mas prior occiderit, longum tamen ipsa superest  
Fœmina erit; sed ubi concepta effuderit ova;  
Nulla mora, amplexu nondum divulsa sequetur.  
Idem omni interitus generi, fata omnibus æqua.  
Aspicies miserans confusa cadavera paßim  
Procubuisse toris genialibus: omnia primùm

Sedibus

Sedibus exportato, & tristia funera ducito;  
Illi namque operum est cunctorum finis, & ævi.

At verò quæ infusa vides mantilibus albis  
Semina, ceu milii exigui tenuissima, coge.  
Hæc tibi post annum sobolis spes certa creandæ:  
His etenim sese reparat moribunda quotannis  
Seminibus, sobolesque venit nova semper ad auras.  
Abde domo; his aptam super omnia delige sedem,  
Quo neque sint aditus torrenti æstate calori,  
Nec Boreæ brumâ in mediâ: contraria vis est  
Utraque seminibus seryandis: frigora dira  
Vim genitalem omnem perimunt, frustraque fovebis  
Semen inane: calor verò si admissus in ova  
Paulatim sese insinuet, parva est mora, proles  
Ante diem superas incassum rumpet in auras,  
Cum frondes jam consumptæ, cum pabula sylva  
Deficiunt, & tonsa comam Thysbeïa nudos  
Otentat ramos populatis frondibus arbor.

Quòd si spes generis defecerit omnis ubique,  
Seminaque aruerint Jovis implacabilis irâ,  
Sicut apes, teneri reparantur cæde juvenci.  
Hic super accedit tantùm labor: ante juvencus  
Bis denosque dies, bis denasque ordine noctes  
Graminis arcendus pastu, prohibendus ab undis.  
Interea in stabulis tantùm illi pinguia mori  
Sufficient folia, & lactenti cortice ramos.  
Viscera ubi cæsi fuerint liquefacta, videbis  
Bombycem fractis condensam erumpere costis,  
Atque globos toto tinearum effervere tergo,  
Et veluti putres passim concrescere fungos.

Quod supereft, moneo, generis tibi semina sunt  
Annua: degenerant supra annum condita, & inde

Omnis

Omnis abit vigor, atque intus vitalis hebet vis.

Tum verò lætas exercent fila puellas:

Haud brevis hic labor, exhausti cui nil satis unquam,  
Dum redeat moro attonse nova vere juventus.

Folliculos primùm domitant ferventibus undis,  
Filaque devolvunt nigris fumantia ahenis.

Tum currenþ rotâ torquent, eademque retorquent,  
Stamineque implicito cura est dissolvere nodos.

Hinc vocat extreñum tandem textura laborem,  
Intenduntque nurus discretas pectine telas

Multifido, radiisque sonantibus intertexunt,

Jactantes dextrâ lævâque sequentia fila:

Alternisque sius pedibus labor additus, atque  
Desuper acta gemit tereti rota garrula nervo.

Nec mora, certantes properant, falluntque laborem  
Aut cantu, aut Veneris curæ narrantur inanes.

Nec modus est simplex texendi, nec genus unum  
Telarum: nunc rasa vides, & lævia texta;

Nunc pexis, leviterque attonsis mollia villis.

Quinetiam varios tenui subtegmne pingunt

Nexilibus flores hederis, sylvasque virentes,

Pomaque, graminaque, & cervos capreasque fugaeæ.

Adde, velut nebulas tenues, velamina textu

Rara, quibus matres crines & tempora velant,

In templisque Deûm prohibent à pulvere vultus.

Vidi etiam varium quæ mutant texta colorem,

Eluduntque oculos, ut discolor aura refusit.

Quid seuar ulterius? nil vis humana reliquit

Intactum: filum tunicis includitur aureis,

Indutæque rigent fulvo subtegmne vestes:

Ut quondam Phryxi de finibus Æteis

Vecta ovis aurato fulgebat pectora villo,

Pecto-

Pectoraque, & pexo pallentia terga metallo.  
 Et dubitant matres pinguem serere undique morum,  
 Aut inter teneras bombycem ferre papillas?

Quid mirum, si jam totum diffusa per orbem  
 Saturni & Veneris pascunt pecora aurea gentes,  
 Mollia nec soli noverunt stamina Seres?  
 Lanivorum ipso genus, Saturni munere magno,  
 Jamdudum super Idalium, super alta Cythera  
 Transtulit & Venus, & nostras penetravit ad oras.  
 Quippe olim (sed fama annis obscura) regebat  
 Felices Seras læti ditissimus agrit.  
 Serius, antiquo patriæ de nomine dictus.  
 Mox acri infelix Phaëthufæ incensus amore  
 Italiam petiit, postquam illam ad flumina magni  
 Audiit Eridani correptum fulmine fratrem  
 Flere diem noctemque, Jovis fera tela querentem.  
 Sed vix Ausonios fines Oenotriaque arva  
 Attigerat, novus ecce illi cum percult aures  
 Rumor, virginam formam amisisse puellam,  
 Protinus & longos ad cœlum tendere ramos  
 Pro manibus, duroque includi pectora libro.  
 Ah miseram! subito stetit acri corda dolore  
 Saucius, insignemque à pectore rupit amictum,  
 Pictus acu molles tunicas opera aurea Serum.  
 Tum viridi in ripâ, charæ sub virginis umbrâ,  
 Implevit cœlum questu, dilectaque frustra  
 Robora complexus tereti dabat oscula ligno,  
 Et tenero erectos in cōtice flebat amores  
 Infelix: non sceptra animum, non regna parentum  
 Alta movere queunt, nec opimæ copia gazæ.  
 In patriam negat ire, placet tantum Itala tellus.  
 Nec procul Eridani ripis absistit, & omnem

Vitam

Vitam agit in lachrymis. Bis senos ordine menses  
 Illum adeò perhibent solos flevisse per agros,  
 Et tandem Superos extremâ voce precatum,  
 Neve oculis lachrymæ, neu deesset lu<sup>t</sup>ibus humor  
 Perpetuus: Superis quæ vota audita repente.  
 Perstat in incepto: gemitu nemora omnia compleat:  
 Non oculis lachrymæ, non defit lu<sup>t</sup>ibus humor.  
 Solvunt se in lachrymas artus, & corpore toto  
 Liquitur humor, abitque omnis conversus in undas:  
 Fit fluvius, cursuque brevissimus exit in alveum,  
 Addua magne, tuum, & tecum in vada solvitur alti  
 Eridani, atque pedes Phaëthusæ humectat amatæ,  
 Flumine turrigeræ radens fata culta Cremonæ.  
 Mansit amor, veteres amni mansere calores.  
 Sæpe illum fama est clausam sub cortice Nympham  
 Tentasse, optatum mox ascendisse cubile.  
 Tandem juncta Dryas fluvio est, licitisque Hymenæis  
 Egressam ruptâ Divam Deus arbore duxit;  
 Cui picturatas vario subtegmine vestes,  
 Illusasque auro tunicas, & tenuia lætæ  
 Texta dedit, missa à patriis sibi munera terris.  
 Paucaque præterea bombycis semina donis  
 Addidit, ostendens hujus quis muneris usus.  
 Ipsa eadem egregias, longo post tempore, natas  
 Seriadas docuit, patris de nomine dictas.  
 Mox illæ Ausonias passim sparsere per urbes,  
 Et morum umbrosam latos severe per agros;  
 Unde sacri viridem vates petiere coronam,  
 Et meritis gratas sibi devinxere puellas.

M A R C I

MARCI HIERONYMI VIDÆ  
POETICORUM  
LIBER PRIMUS.

## ARGUMENTUM.

*Invocatio. Dedicatio ad Delphinum, quem in Hispaniâ exulanter Vida consolatur, & ad studium poëeos invitat. Heroicus præ cæteris versus laudatur. Epici carminis leges tradendæ proponuntur, quæ tamen alia carminum genera excolentibus non erunt inutiles. Eligenda materia ingenio congrua. Nil magnum derepentè aggrediendum. Rerum verborumque copia comparanda. Effigies poëmatis oratione solutâ primo fingenda. Musis dicatus puer ab ætate tenerâ iis affuescat, optimoque statim præceptorî tradatur. Virgilianâ lectione imbuatur, & Homericâ. Homerus Græcorum poëtarum facile princeps. Illi quo quisque ætate propior, eo præstantior. Origo & progressus poëeos in Italiâ. Virgilius omnium in hoc laudis genere primus. Postea sensim degenerans poësis Ítalianam tandem, irruente barbarie, penitus deseruit: jampridem tamen ope insignium virorum è gente Mediceâ revocatur. Virgilium ante omnes puer veneretur, eumque imitetur, nullosque in deliciis, nisi qui sub Augusto floruere, poëtas habeat. Præceptor quærendus omnibus numeris absolutus, & minimè severus; qui laudis spe & æmulatione, potius quam minis, animos juvenum excitet; quos semel his illecebbris ad poësin ductos ipsius artis dulcedo facile detinebit. Ponuntur signa, quibus aptus ad hæc studia ab inepto*

*inepto dignoscatur. Nimis præcox ingenium improbatur.  
Ludi puero concedendi. Proprietates ingeniorum diversæ.  
Invigilandum præceptorí ne blanditiis amoris alumnus  
irretiatur. Pubescentem non poëeos tantum, sed & ali-  
arum artium, studio oportet incumbere. Poëtæ scriben-  
tis descriptio. Sumenda est æqua viribus materia. Quo-  
modo præceptor, quæ corrigenda sunt, emendet. Secessus  
ruris egregium quicquam inchoanti petendus. In honore  
vates haberi æquum est, quippe qui Superis dilecti.  
Musarum origo caelitus dubia. Hymnus ad Deum pâ-  
tarum præsidem.*

**S**IT fas vestra mihi vulgare areana per orbem,  
Pierides, penitusque sacros recludere fontes;  
Dum vatem egregium teneris educere ab annis,  
Heroum qui facta canat, laudesve Deorum,  
Mente agito, vestrique in vertice fistere montis.

Ecquis erit juvenum, segni qui plebe relicta  
Sub pedibus, pulchritæ laudis succensus amore  
Ausit inaccessæ mecum se credere rupi,  
Lætæ ubi Pierides, citharâ dum pulcher Apollo  
Personat, indulgent choreis, & carmina dicunt?  
Primus ades, FRANCISCE: sacras ne despice Musas,  
Regia progenies, cui regum debita sceptræ  
Gallorum, cum firma annis acceſſerit ætas.  
Hæc tibi parva ferunt jam nunc solatia dulces;  
Dum procul à patriâ raptum, amplexuque tuorum,  
Ah dolor! Hispanis fors impia detinet oris,  
HENRICO cum fratre: patris sic fata tulerunt  
Magnanimi, dum fortunâ luctatur iniquâ.  
Parce tamen puer ô lachrymis; fata aspera forsitan  
Mitescent, aderitque dies lœtissima tandem

Post

Post triste exilium, patriis cum redditus oris  
 Lætitiam ingentem populorum, omnesque per urbes  
 Accipies plausus, & lætas undique voces,  
 Votaque pro reditu persolvent debita matres.  
 Interea te Pierides comitentur ; in altos  
 Jam te Parnassi mecum aude attollere lucos.

Jamque adeo int̄ primis ne te non carminis unum  
 Prætereat genus esse, licet celebranda reperti  
 Ad sacra fint tantum versus, laudesve Deorum  
 Dicendas, ne religio sine honore jaceret :  
 Nam traxere etiam paulatim ad cætera Musas,  
 Versibus & variis cecinerunt omnia vates.  
 Sed nullum è numero carmen præstantius omni,  
 Quàm quo post Divos heroum facta recensent,  
 Versibus unde etiam nomen fecere minores,  
 Munere concessum Phœbi venerabile donum  
 Phemonoës, quæ prima dedit, si vera vetustas,  
 Ex adyto haud aliis numeris responsa per orbem.

Tu vero ipse humeros explorans consule primùm,  
 Atque tuis prudens genus elige viribus aptum.  
 Nam licet hic Divos ac Diis genitos heroas  
 In primis doceam canere, & res dicere gestas,  
 Hæc tamen interdum mea te præcepta juvabunt,  
 Seu scenam ingrediens populo spectacula præbes,  
 Sive elegis juvenum lachrymas quibus igne medullas  
 Urit amor, seu pastorum de more querelas  
 Et lites Siculi vatis modularis aenâ ;  
 Sive aliud quodcunque canis quo carmine cunque  
 Nunquam hinc, ne dubita, prorsum inconsultus abibis.

Atque ideo quodcunque audes, quodcunque paratus  
 Aggrederis, tibi sit placitum, atque arriserit ultro  
 Ante animo ; nec jussa canas, nisi fortè coactus

Magnorum imperio regum, si quis tamen usquam est  
Primores inter nostros qui talia curet.

Omnia sponte suâ, quæ nos elegimus ipsi,  
Proveniunt, duro assequimur vix iussa labore.

Sed neque cum primùm tibi mentem inopina cupido,  
Atque repens calor attigerit, subito aggrediendum est  
Magnum opus: adde moram, tecumque impensius ante  
Consule, quicquid id est, partesque expende per omnes,  
Mente diu versans, donec nova cura senescat.

Ante etiam pelago quād pandas vela patenti,  
Incumbasque operi incipiens, tibi digna supellex  
Verborum rerumque paranda est, proque videnda  
Instant multa prius, quorum vatum indiget usus:  
Illi tempus erit mox cum lætabere partis.  
Sponte suâ, dum fortè etiam nil tale putamus,  
In mentem quædam veniunt, quæ forsitan ultro,  
Si semel exciderint, nunquam revocata redibunt,  
Atque eadem studio frustra expectabis inani.  
Nec mihi non placeant, qui, fundamenta laborum  
Cum jaciunt, veterum explorant opera inclyta vatum  
Noctes atque dies, passimque accommoda cogunt  
Auxilia, intentique aciem per cuncta voluntant.

Quinetiam prius effigiem formare solutis  
Totiusque operis simulachrum fingere verbis  
Proderit, atque omnes ex ordine necesse partes,  
Et feriem rerum, & certos tibi ponere fines,  
Per quos tuta regens vestigia tendere pergas.

Jisque hic tempus erat dare vela vocantibus Euris,  
Condendique operis primas præscribere leges:  
At prius ætati teneræ quæ cura colendæ  
Dicendum, quantus puero labor impendendus:  
Nulli enim insignem dabitur gestare coronam,

Pieridum

Pleridum chores teneris nisi norit ab annis.  
 Postquam igitur primas fandi puer hauferit artes,  
 Jam tunc incipiat riguos accedere fontes,  
 Et Phœbum & dulces Musas assuescat amare.  
 Ille autem parvum qui primis artibus ante  
 Imbuit, atqué mōdos docuit, legesque loquendi,  
 Sincerus vocis, cupereim, ac purissimus oris  
 Contigerit, fandi ne fors puer atque nefandi  
 Nescius imbiberit malē gratæ semina linguæ,  
 Quæ post infecto ex animo radicitus ullā.  
 Non valeás, meliora docens, evellere curā.  
 Idcirco mihi ne quisquam persuadeat oro,  
 Ut placeant qui (dum cupiunt se numine lœvo  
 Tollere humo, & penitus jactant se ignota docere)  
 Conventu in medio, septique impube coronā  
 Insolito penitus fandi de more magistri  
 Obscuras gaudent in vulgum spargere voces  
 Irrisi, foedam illuviem, atque immania monitra.  
 Non minius à rectâ mentis ratione feruntur  
 Decepti, quām qui, liquidi cum pocula fontes  
 Sufficiant, malunt graveolentem haurire paludem.  
 Ne mihi, ne teneræ talis se admoverit auri,  
 Sed procul ô procul ista ferat, natosque Getarum  
 Imbuat, aut siqua est gens toto obtusior orbe.

Jamque igitur, mea cura, puer penetralia vatum  
 Ingrediatur, & Aoniâ se proluat undâ:  
 Jamque sacrum teneris vatem veneretur ab annis,  
 Quem Musæ Mincî herbosis aluere sub antris,  
 Atque olim similem poscat sibi numina versum,  
 Admirans artem, admirans præclara reperta.  
 Nec mora, jam favet Ascanio, tactusque dolore  
 Impubes legit æquales, quos impius hausit

Ante diem Mavors, & acerbo funere mersit.  
 Multa super Lauso, super & Pallante perempto  
 Multa rogat, lachrymas inter quoque singula fundit  
 Carmina, crudeli cum raptum morte parenti  
 Ah ! miseræ legit Euryalum, pulchrosque per artus  
 Purpureum, letho dum volvitur, ire cruem.  
 Nec non interea Graios accedere vates  
 Audeat, & linguam teneris affuescat utramque  
 Auribus, exercens nunc hanc, nunc impiger illam.  
 Nulla mora est, nostro Æneæ jam conferet igneis  
 Æaciden flagrantem animis, Ithacumque vagantem,  
 Atque ambos saepe impellet concurrere vates.

Nunc geminas, puer, huc aures, huc dirige mentem.  
 Nam, quia non paucos parte ex utrâque poëtas  
 Nostrosque, Graiosque tibi se offerre videbis,  
 Quos hic evites, quibus idem fidere tutus  
 Evaleas, dicam, ne quis te fallere possit.  
 Haud multus labor autores tibi prodere Graios,  
 Quos inter potitur sceptris insignis Homerus :  
 Hunc omnes alii observant, hinc pectore numen  
 Concipiunt vates, blandumque Heliconis amorem.  
 Felices quos illa ætas, quos protulit illi  
 Proxima. Divino quanto quisque ortus Homero  
 Vicinus magis, est tanto præstantior omnis.  
 Degenerant adeò magis ac magis usque minores,  
 Obliti veterum præclara inventa parentum.  
 Jamque ferè Inachiæ restincta est gloria linguæ  
 Omnis, & Argolici jussi concedere avitis  
 Sunt pulsæ reges soliis, civesque coacti  
 Diversa exilia, atque alienas quærere terras.  
 Huc illuc inopes errant, habet omnia viator  
 Barbarus, & versis nunc luget Græcia fatis.

Nostris

Nostrī autem ut sanctum Divas Helicona colentes  
 Cœperunt primum in Latium transferre, fluebant  
 Versu incomposito informes, artisque Pelasgæ  
 Indociles Musā fundebant carmina agresti,  
 Sylvicolas inter Faunos: tunc omne sonabat  
 Arbustum fremitu sylvai frondosai.  
 Nondum acies, nondum arma rudi pater Ennius ore  
 Tentarat, qui mox Graio de vertice primus  
 Est ausus viridem in Latio sperare coronam.  
 Tum rerum causas, naturæ arcana latentis  
 Explorare ausi, cecinerunt carmine dulci  
 Omnia Pierio spargentes nectare vates.  
 Atque ita deinde rudes paulatim sumere versus  
 Cœperunt formam insignem, penitusque Latini  
 Agrestem exuerunt morem, liquidissima donec  
 Tempestas veluti cœli post nubila & imbræ,  
 Extulit os sacrum, soboles certissima Phœbi,  
 Virgilius, qui mox, veterum squalore situque  
 Deterso, in melius mira omnia rettulit arte,  
 Vocem animumque Deo similis: date lilia plenis,  
 Pierides, calathis, tantoque assurgite alumno.  
 Unus hic ingenio præstanti gentis Achivæ  
 Divinos vates longè superavit, & arte,  
 Aureus! immortale sonans! stupet ipsa, pavetque,  
 Quamvis ingentem miretur Græcia Homerum.  
 Haud alio Latium tantum se tempore jaëtat:  
 Tunc linguæ Ausoniæ potuit quæ maxima virtus  
 Esse, fuit, cœloque ingens se gloria vexit  
 Italiæ: sperare nefas sit vatibus ultra.  
 Nulla mora, ex illo in pejus ruere omnia visa,  
 Degenerare animi, atque retro res lapsa referri.  
 Hic namque ingenio confisus posthabet artem:

Ille fuit strepitu, tenditque æquare tubarum  
 Voce sonos, versusque tonat sine more per omnes:  
 Dant alii cantus vacuos, & inania verba  
 Incassum, solâ capti dulcedine vocis;  
 Pierides donec Romam & Tyberina fluenta  
 Deseruere, Italis expulsæ protinus oris.  
 Tanti causa mali Latio gens aspera aperto  
 Sæpius irrumpens: sunt jussi vertere morem  
 Ausonidæ victi, victoris vocibus usi.  
 Cessit amor Musarum, artes subiere repente  
 Indignæ, atque opibus cuncti incubuere parandis.  
 Jampridem tandem Ausonios invisere rursus  
 Cœperunt MEDICUM revocatæ munere Musæ;  
 Tuscorum MEDICUM, quos tandem protulit ætas  
 Europæ in tantis solamen dulce ruinis.  
 Illi etiam Graiae miserati incommoda gentis,  
 Ne Danaûm penitus caderet cum nomine virtus,  
 In Latium advectos juvenes, juvenumque magistros,  
 Argolicas artes quibus esset cura tueri,  
 Securos Musas jussere atque otia amare.  
 Illi etiam captas latè misere per urbes,  
 Qui doctas tabulas, veterum monumenta virorum,  
 Mercati pretio adveharent, quæ barbarus igni  
 Tradebat Danaûm regnis opibusque potitus.  
 Et tentamus adhuc sceptris imponere nostris  
 Externum, necdum civiles condimus enses.  
 Hæc ætas omnis, vatum hæc fortuna priorum.  
 Ergo ipsum ante alios animo venerare Maronem,  
 Atque unum sequere, utque potes vestigia serva.  
 Qui si fortè tibi non omnia sufficit unus,  
 Adde illi natos eodem tempore vates.  
 Parce dehinc, puer, atque alios ne quære doceri;

Nec

Nec te discendi capiat tam dira cupido.  
 Tempus erit tibi, mox cum firma advenerit ætas,  
 Spectatum ut cunctos impunè accedere detur.

Interea moniti vos hic audite, parentes.

Quærendus rector de millibus, eque legendus,  
 Sicubi Musarum studiis insignis & arte,  
 Qui curas dulces, charique parentis a morem  
 Induat, atque velit blandum perferre laborem.  
 Illa suis niti nondum ausit viribus ætas,  
 Externæ sed opis, alienæque indiga curæ est.  
 Nam puerum, ni præsentis vis fida regentis  
 Adsit, & hunc dulcem studiorum infundat amorem,  
 Illecebræ sacris avertant mille Camœnæ  
 Deceptum falsâ melioris imagine curæ.  
 Sic quoque ubi cultis plantas defodit in hortis  
 Agricola, & teneras telluri credidit almæ,  
 Fraxineos contos subitò erigit, & sua cuique  
 Robora, ut innixæ ventos cœlique ruinam  
 Contemnant, surgantque leves impunè per auras.  
 Ille autem, pueri cui credita cura colendi  
 Artibus egregiis, in primis optet amari,  
 Atque odium chari super omnia vitet alumni :  
 Ne fortè & sacras simul oderit ille Camœnas  
 Imprudens, & adhuc tantæ dulcedinis expers ;  
 Defiantque animi studiorum in limine primo.  
 Ponite crudeles iras & flagra, magistri,  
 Fœda ministeria, atque minis absistite acerbis.  
 Ne mihi, ne, quæso, puerum quis verbera cogat  
 Dura pati ; neque enim lachrymas aut dulcis alumni  
 Ferre queunt Musæ gemitus, ægræque recedunt ;  
 Illiusque cadunt animi, nec jam amplius audet  
 Sponte suâ quicquam egregium, ingratumque laborem

140 M. H I E R O N Y M I V I D E

Invitus trahit ægrè, animoque ad verbera durat.  
 Vidi ego, qui semper levia ob commissa vocabat  
 Ad poenam pueros, furiiis insurgere & irâ  
 Terribilem, invisos veluti sœviret in hostes:  
 Hinc semper gemitus, hinc verbera dira sonabant.  
 Atque equidem memini, cum formidatus inquis  
 Urgeret poenis, solitoque immanior ille  
 Terreret turbam invalidam, (miserabile visu !)  
 Fortè puer primâ signans nondum ora juventâ,  
 Insignis facie ante alios, exegerat omnem  
 Cum sociis ludens lucem, oblitusque timoris  
 Posthabuit ludo jussos ediscere versus.  
 Ecce ! furens animis multa increpat ille, minisque  
 Insurgens sœvo pavitantem territat ore  
 Horrendum, & loris dextram crudelibus armat.  
 Quo subito terrore puer miserabilis acri  
 Corripitur morbo ; parvo is post tempore vitam  
 Crescentem blandâ coeli sub luce reliquit.  
 Illum populifer Padus, illum Serius imis  
 Seriadisque diu Nymphæ flevere sub undis.  
 Tempore jam ex illo, vatem cum dura jubentem  
 Phœbigenam Alcides animo indignante peregit,  
 Vocali invisam feriens testudine frontem,  
 Debuerat sœvos factum monuisse magistros.  
 Vos tamén, ô jussi juvetes, parete regentum  
 Imperiis, ultroque animos summittite vestros.

Siqueim igitur clari formandi gloria vatis  
 Digna manet, verbis puerum compellat aethicis,  
 Sæpe rogans, laudisque animum pertentet amore.  
 Quandoquidem hunc imis postquam semel offibus ignem  
 Implicit, labor inde levis, sese excitat ardens

Sponte

Sponte suâ, duroisque volens fert ille labores,  
Et tacito vivens crescit sub pectore flamma.

Quid memorem? socium nam mos æqualibus annis  
Jungere, cui paribus studiis contendat alumnus,  
Æmula cum virtus stimulis agitarit honestis:  
Præsertim si victori sua præmia rector  
Pollicitus, celeremve canem, pictamve pharetram.  
Continuò videoas studio gestire legendi  
Ardentem, ac ferâ sub nocte urgere laborem,  
Dum timet alterius capiti spectare coronam.

Ast ubi sponte suâ studia hæc assuerit amare,  
Jam non laudis amor, non illum gloria tantum  
Sollicitat, sed mirâ operum dulcedine captus  
Musarum nequit avelli complexibus arctis.  
Nonne vides, duri natos ubi sëpe parentes  
Dulcibus amôrunt studiis, & discere avaras  
Jufferunt artes, mentem siquando libido  
Nota subit, solitâque animum dulcedine movit,  
Ut læti rursum irriguos accedere fontes  
Ardescant studiis, & nota revisere Tempe?  
Exultant animis cupidi, pugnantque parentum  
Imperiis, nequit ardentes vis ulla morari.  
Sic affuetus equus jam duris ora lupatis,  
Fortè procul notis si armenta aspexit in arvis,  
Huc veterum ferri cupit haud oblitus amorum,  
Atque hic atque illuc hæret, frænisque repugnat;  
Quove magis stimulis instas, hoc acrius ille  
Perfurit; it tandem multo vix verbere vietus  
Cœptum iter: ipsa tamen respectans crebra moratur  
Pascua, & hinnitu latè loca complet acuto.  
Ah! quoties aliquis sacros reminiscitur æger  
Fontes incassum, & lucos suspirat amatos

Dulcibus eruptus Musis puer, atria ut alta  
 Incoleret regum rebus præfectus agendis!  
 Tybure quām mallet, gelido aut sub Tusculo iniquam  
 Pauperiemque pati, & ventos perferre nivales!

Contra autem vanum multi effudere labore,  
 Quos frustra excoluisse solum malè pinguis arenæ  
 Pœnituit, ventisque viam tentasse negatis.

Quod ne cui sero contingat fortè docenti,  
 Continuò poterit certis præsciscere signis.

Namque puer nullis rectorum hortatibus ipse  
 Sponte suâ exercetur, amatque, rogatque docentes  
 Primus, inardescitque ingenti laudis amore.

Provocat hinc socios pulchra ad certamina primus,  
 Exultatque animo viñor, superatus amaris  
 Mordetur curis, latebrasque & sola requirit  
 Infelix loca; ad æquales pudet ire, gravesque  
 Vultus ferre nequit chari rectoris inultus.

Nec lachrymis penitus caruerunt ora decoris.  
 Hic mihi se Divis fatisque volentibus affert,  
 Huic Musæ indulgent omnes, hunc poscit Apollo.  
 At nullam prorsus tibi spem frustra excitet ille,  
 Quem non ulla movet prædulcis gloria famæ,  
 Et præcepta negat duras dimittere in aures  
 Immemor auditii, cui turpis inertia mentem  
 Dejicit, atque hebetes torpent in corpore sensus.  
 Huic curam moneo ne quisquam impendat inanem.

Nec placet ante annos vates puer: omnia justo  
 Tempore proveniant: ah! ne me olientia poma  
 Mitescant prius, autumnus bicoloribus uvis  
 Quām redeat, spumetque cadis vindemia plenis.  
 Ante diem nam lapsa cadent, ramosque relinquunt  
 Maternos, calcabit humi projecta viator.

Nec

Nec ludos puerō abnuimus: subducere mentem  
 Interdum studiis liceat: defessus amoena  
 Rura petat, sēpe & mores observet agrestum;  
 Et venator agat de vertice Tyburtino  
 Veloceſ capreas, aut tendat retia cervis.  
 Non ille interea penitus patietur inanem  
 Ire diem, comitum cœtu ſe subtrahet ultrâ  
 Interdum, & folâ ſecum meditabitur umbrâ  
 Agrestem Faunis laudem, Muſasque ſub altâ  
 Conſulet Albuneâ vitreas Anienis ad undas.  
 Nempe etiam alternis requiescere foetibus arva  
 Permittunt ſponte agricolæ, & ceſſare novales:  
 Interea vires tellus inarata reſumit,  
 Quique ſubit largis respondet frugibus annus.

Verum non eadem tamen omnibus eſſe memento  
 Ingenia. Inventus ſēpe eſt, cui carmina curæ,  
 Cui placeant Muſæ, cui non ſit læva voluntas;  
 Nititur ille tamen fruſtra, & contendit inani  
 Delufus ſtudio, vetiſisque accingitur aufis:  
 Numina læva obſtant, precibusque vocatus Apollo.  
 Orabit melius cauſas fors ille, animoque  
 Naturam & cæcos rerum ſcrutabitur ortus.  
 Sēpe tamen cultusque frequens, & cura docentum  
 Imperat ingeniis, naturaque flectitur arte.

Nec labor ille quidem rectoribus ultimus, acres  
 Incauto juveni ſtimulos avertere amoris,  
 Donec crescentem doceat maturior ætas  
 Ferre jugum, atque faces, ſævique Cupidinis iras.  
 Sēpe etenim teſtos immitis in offibus ignes  
 Versat amor, mollesque eſt intus cura medullas,  
 Nec miſerum patitur vatum meminiffe, nec undæ  
 Caſtaliae: tantum ſuſpirat vulnere cæco.

Ante

Ante oculos simulachra volant noctesque diesque  
 Nuntia virginis vultus, quem perditus ardet.  
 Nec potis est aliò fixam traducere mentem  
 Saucius: ignari frustra miscere parentes  
 Paeonios succos, medicasque Machaonis artes  
 Consulere: interea penitus calor ille reliquit  
 Pierius; torquent alii cor molle calores.

Cum verò jam pubescens mente altius haufit  
 Musarum dulcem sanctique Heliconis amorem,  
 Et sese Phœbo addixit, propriumque sacravit,  
 Haud tamen exploret vatum monumenta, sed idem  
 Consulat, atque alios autores discat, ut acri  
 Nulla sit ingenio quam non libaverit artem.  
 Proderit in primis linguam Ciceronis ad unguem  
 Fingere, & eloquii per campos ire patentes.  
 Ille, decus Latii, magnæ lux altera Romæ,  
 Ore effundit opes fandi certissimus autor;  
 Tantum omnes superans præclaræ munere linguae,  
 Quantum iit ante alias Romana potentia gentes.  
 Profuit & varios mores hominumque, locorumque  
 Explorasse situs, multas terraque marique  
 Aut vidisse ipsum urbes, aut narrantibus illas  
 Ex aliis novisse, & pictum in pariete mundum.  
 Quid referam qui, ut sæva queant æquare canendo  
 Prælia, non horrent certamina Martis adire,  
 Per mediasque acies vadunt, & bella laceffunt?  
 At quia dura vetant longum nos fata morari  
 In cunctis, revocatque angusti terminus ævi,  
 Vos sat erit, pueri, tantum omnes ifse per artes,  
 Quarum summa sequi saltem fastigia oportet.  
 Nec refert rate qui varias legit æquoris oras,  
 Mercis ut in patriam referat se dives opimæ,

Si non cuncta oculis lustraverit oppida paßim,  
 Et circumfusis longum terat otia terris :  
 Sat fuerit portus, extremaque littora tantum  
 Explorasse : secus toto vagus exulet ævo,  
 Et serus natos dulces patriamque reviset.  
 Nulla dies tamen interea, tibi nulla abeat nox,  
 Quin aliquid vatum sacrorum è fontibus almis  
 Hauseris, ac dulcem labris admovearis amnem.  
 Sed tibi præsertim princeps tunc hæreat illa  
 Cura animo, noctem atque diem te tē excitet una,  
 Omnem quam propter libuit perferre laborem.

Non hic te quibus aut pedibus spatiisve monebo  
 Tendapturn ducti versus ; labor iste regentum  
 Postulat haud multum curæ, qui sæpe morando  
 Ipsa minutatim metiri carmina sectis  
 In partes membris, & tempora certa docebunt.  
 Continuò, edico, jam tunc animosus alumnus  
 In numerum incipiat sub leges cogere verba :  
 Jam tunc summissa meditetur carmina voce,  
 Sermonum memor, antiquis quos vatibus hausit.  
 Tum votis sibi centum aures, tum lumina centum  
 Exoptat dubius rerum, metuensque pericli.  
 Dividit huc illuc animum, cunctaque perterrat  
 Naturam rerum, versatque per omnia mentem ;  
 Quis rebus dexter modus, aut quæ mollia fandi  
 Tempora: vertuntur species in pectore mille.  
 Nec mora, nec requies ; dubio sententia surgit  
 Multa animo, variatque ; omnes convertitur anceps  
 In facies, nescitque etiam notissima, & hæret  
 Attonitus : nunc multa animum, nunc consulit aures,  
 Secum mente agitans siqua olim audita recurserint  
 Sponte suâ ; & memorem mentem excitat, atque repostas  
 Thesauris

146 M<sup>o</sup> H I E R O N Y M I V I D A

Thesauris depromit opes, lætusque laboris  
 Ipse sui parto fruitur: multa ecce repente  
 Fœrs inopina aperit cunctanti, aliudque putanti.  
 Jamque hæc, jamque illa attentat, texitque retexitque,  
 Et variis indefessus conatibus instat.  
 Sæpe etenim occurunt haud dictu mollia, ubi hæret  
 Cura diu, multoque exercita corda labore.  
 Nunc hos, nunc illos aditus vestigat, & omnia  
 Attentans scopulo longum luctatur iniquo,  
 Dum se qua ostendit facilis via: denique multâ  
 Aut vi, aut cœli & fortunæ munere victor  
 Exultat, domitoque animis it ad æthera monstro.  
 Ast ubi nulla viam nec vis, nec dextra aperit fors,  
 Nec prodest vires fessas renovare, nec aptum  
 Nunc hic, nunc illie captare ad carmina tempus;  
 Invitus cura absistit, tristisque relinquit  
 Cœpta infecta, pedem referens: ceu fortè viator  
 Si quis tendat iter campis, cui se amnis abundans  
 Ecce viæ in medio objiciat, spumisque fragosos  
 Post imbrem volvens montis de vertice fluctus,  
 Horrefcit, ripâque moratus obambulat anceps:  
 Tum demum metuens retro redit æger, iterque  
 Aut alia tenet, aut, cedant dum flumina, differt.

Sed neque inexpertus rerum jam texere longas  
 Audeat Iliadas: paulatim assuescat, & antè  
 Incipiat graciles pastorum inflare cicutas.  
 Jam poterit culicis numeris fera dicere sata;  
 Aut quanta ediderit certamine fulmineus mus  
 Funera in argutas & amantes humida turmas;  
 Ordire dolos & retia tenuis aranei.

Confiliis etiam hic nostris, vobisque, docentes,  
 Est monitis opus: ingenii nam parcere multa

Fas

Fas teneris, donec paulatim attollere sese  
 Incipiant animi, videantque in carmine labem  
 Per se ipsi, & tacito rubeant ultiro ora pudore.  
 Nam maculas si fortè omnes per carmina monstreret  
 Quæsitor ferus, abjiciant spem protinus omnem,  
 Atque alias animo potius vertantur ad artes.  
 Nostrum igitur si fortè adeat puer indole limen  
 Egregiā, ut consulta petat, parere paratus,  
 Quique velit sese arbitrio supponere nostro,  
 Excipiam placidus: nec me juvenile pigebit  
 Ad cœlum vultu simulato extollere carmen  
 Laudibus, & stimulos acres sub pectore figam.  
 Post tamen ut multâ spe mentem arrexit ardens,  
 Si quis fortè inter, veluti de vulnere claudus,  
 Tardus eat versus, quem non videt inscius ipse  
 Delususque sonis teneras fallacibus aures,  
 Haud medicas afferre manus ægroque mederi  
 Addubitem, & semper meliora ostendere pergam.

Quod supereft, etiam moneo, creberque monebo  
 Ne quisquam nisi curarum liberque laborum  
 Inchoet egregium quicquam; verùm procul urbis  
 Attonitæ fugiat strepitus, & amoena silentis  
 Accedat loca ruris, ubi Dryadesque puellæ,  
 Panesque, Faunique, & montivagi Sylvani.  
 Hic læti haud magnis opibus, non divite cultu  
 Vitam agitant vates: procul est sceleratus habendi  
 Hinc amor, insanæ spes longè, atque impia vota,  
 Et nunquam diræ subeunt ea limina curæ:  
 Dulcis & alma quies, ac paucis nota voluptas.

At nimium trux ille, ferisque è cautibus ortus,  
 Qui sanctos, genus innocuum, populumque Deorum,  
 Aut armis audet vates, aut lædere dictis.

Vidi

## 148 M. H I E R O N Y M I V I D A E

Vidi ego, qui ad summos Musarum munere honores  
 Evecti, mox ingratis contemnere Musas,  
 Nec vates saltem alloquio dignarier ipsos.  
 Parcite, mortales, sacros vexare poëtas :  
 Ultores sperate Deos, sub numine quorum  
 Semper vita fuit vatum defensa piorum.  
 Illi omnes sibi fortunas posuere volentes  
 Sub pedibus, regumque & opes, & sceptra superba  
 Ingenti vincunt animo, & mortalia rident.  
 Non illis usquam scelerum mens conscia cæcos  
 Horrescit cœli crepitus, ignemve coruscum,  
 Cum pater omnipotens præruptas fulmine turres  
 Ingeminans quatit, ac montes diverberat altos.  
 Securi terrorum hilares ad sidera mentes  
 Arrexere, Deumque agitant sine crimine vitam.

Dona Deum Musæ : vulgus procul este prophanum.

Has magni natas Jovis olim duxit ab astris  
 Callidus in terras insigni fraude Prometheus,  
 Cum liquidos etiam mortalibus attulit ignes.  
 Quippe rudes hominum mentes & pectora dura  
 Ipse sagax animo miseratus, ubi astra per aurea  
 Ire datum, ac Superum lætis accumbere mensis,  
 Miratus sonitus circumvolventis Olympi  
 Ingentem, magnique argutos ætheris orbes,  
 Quos, sua quemque, cinct vario discrimine Musæ ;  
 Continuò utilius ratus est mortalibus addi  
 Post ignem nil posse, animumque ad callida movit  
 Furta vigil. Dii mox cœlestia dona volentes  
 Concessere, dolí licet audentissimus ipse  
 Autor Caucaso sævas det vertice pœnas.  
 Quo terrore nisi multo post tempore inertes  
 Non ausi dias homines accersere Musas :

Sed ventura prius pandebant carmine soli  
 Cœlicolæ, dubiisque dabant oracula rebus.  
 Ipse pater Divum Dodonæ carmina primus  
 Et Libycis cecinuit lucis, mox Phocidis antro  
 Insonuit Themis alma, suos quoque pulcher Apollo  
 Responsis monuit Delphos, nec defuit olim  
 Antiquis Faunus caneret qui fata Latinis.  
 Tum Solymum prisci vates, tum sacra Sibyllæ  
 Nomina divinas cœli in penetralia mentes  
 Arripuere, Deumque animis hausere furentes.  
 Nec mora; quæ primum Fauni vatesque canebant  
 Carmina, mortales passim didicere per urbes,  
 Post epulas laudes heroum & facta canentes.

Quid mirandum homini cœlo divinitus æquè  
 Concessum! mortale genus tua numina sentit,  
 Quisquis es ille, Deus certè! qui pectora vatum  
 Incolis, afflatasque rapis super æthera mentes.  
 Te sine nil nobis lætum, nec amabile quicquam.  
 Ipsæ etiam volucres vario tua numina cantu  
 Testantur: pecudesque feræ, mutæque natantes.  
 Ad tua jussa citæ properant: tua munera saxa  
 Dura movent, sylvasque trahunt hinc inde sequentes.  
 Te quoque senserunt olim impia Tartara, & umbræ  
 Pallentes stupuere: minas tibi janitor Orci  
 Oblitus, sœvas posuere & Erinnys iras.  
 Tu Jovis ambrosiis das nos accumbere mensis:  
 Tu nos Diis æquas superis: tu blanda laborum  
 Sufficis & duræ præsens solatia vitæ.  
 Salve hominum dulcis requies, Divumque voluptas!  
 Ipse tuæ egregios audax nunc laudis honores  
 Ingredior vates idem, Superumque sacerdos,  
 Sacraque dona fero teneris comitatus alumnis.

LIBER

## LIBER SECUNDUS.

## ARGUMENTUM.

*Ope Musarum rursus imploratā, materiæ aptè disponenda rationem poëta in hoc libro se traditum profitetur. Proposendi & invocandi leges. Historica narratio vitanda. A rebus mediis, Homeri exemplo, exordiendum est, & ad primas inde revertendum. Lectorem diu, sed non ad finem usque, eventus aetionis lateat. Digressiones non intempestivè, nec ostentandæ eruditiois gratiâ, sed ubi necessariæ videntur, adhibendæ. Sententiæ interdum ad miscendæ. Cavendum ne comparationibus à rebus vilioribus ductis oratio fordescat. Servanda verisimilitudo. Repetitiones fugiendæ. Accurata brevitas commendatur. Opus exiguum dilatari potest episodiis. Nitendum est ut res æquentur verbis, & quasi graphicè depingantur. Vigor poëticus non semper idem; languescens poëtarum letione sæpe reficiatur; refectione ratio temperet. Ars naturæ imitatrix. Ad hujus imaginem personarum mores exprimendi. Quo pacto moveantur affectus, petendum est è rhetorica. Modestia studendum & decoro. Homero non cedit Virgilius. Ad Italizæ calamitates, aureumque seculum Leonis X, cuius mors defletur, digressio.*

**P**ergite, Pierides, natæ Jovis: en mihi totum  
Nunc fas venturis Helicona recludere seclis.  
Inspirate animum: templa ipse in vestra sacerdos  
Sacra ferens, juvenes florentes mollibus annis  
Duco audens durum per iter: vos, mollia, Divæ,  
Siqua latent, vobis tantum divortia nota,

Præfentes monstrate, novosque ostendite calles,  
 Quos teneam. Vos en! omnis, vos Itala pubes,  
 Quæ juga sub nostris nunc tendit ad ardua signis,  
 Supplicibus poscit votis, facilesque precatur.  
 Nam mihi nunc reperire apta, atque reperta docendum  
 Digerere, atque suo quæque ordine ritè locare.  
 Durus uterque labor: sed quos Deus aspicit æquus,  
 Sæpe suis subito invenient accommoda votis.  
 Altera nempe arti tantum est obnoxia cura,  
 Unde solent laudem in primis optare poëtæ.

Vestibulum ante ipsum, primoque in limine semper  
 Prudentes leviter rerum fastigia summa  
 Libant, & parcis attingunt omnia dictis,  
 Quæ canere statuere: simul cœlestia Divum  
 Auxilia implorant, propriis nil viribus ausi.  
 Quos ores autem non magni denique refert,  
 Dum memor auspiciis cujusquam cuncta Deorum  
 Aggregiere: Jovis neque enim nisi ritè vocato  
 Numine fas quicquam ordiri mortalibus altum.  
 Nec sat opem implorare semel, Musasque ciere,  
 Sed quoties, veluti scopuli, durissima dictu  
 Objicient sese tibi, non superanda labore  
 Mortali, Divos toties orare licebit.  
 Incipiens odium fugito, facilesque legentum  
 Nil tumidus demulce animos, nec grandia jam tum  
 Convenit aut nimium cultum ostentantia fari;  
 Omnia sed nudis prope erit fas promere verbis:  
 Ne, si magna fones, cum nondum ad prælia ventum,  
 Deficias medio irrigus certamine, cum res  
 Postulat ingentes animos, viresque valentes.  
 Principiis potius semper majora sequantur:  
 Protinus illectas succende cupidine mentes,

L

Et

Et studium lectorum animis innecte legendi.

Jam verò cum tem propones, nomine nunquam  
Prodere conveniet manifesto : semper opertis  
Indiciis, longè & verborum ambage petitâ  
Significant, umbrâque obducunt : inde tamen, ceu  
Sublustrî è nebulâ, rerum tralucet imago  
Clarius, & certis datur omnia cernere signis.  
Hinc si dura mihi passus dicendus Ulysses,  
Non illum vero memorabo nomine, sed qui  
Et mores hominum multorum vidi & urbes,  
Naufragus eversæ post sœva incendia Trojæ.  
Addam alia, angustis complectens omnia dictis.

Ergo age quæ vates servandi cura fatiget  
Ordinis intentos operi, cum carmine aperto  
Rem tempus narrare, loco ut disposita decenti  
Omnia sint opere in toto, nec meta laborum  
Usquam diffideat ingressibus ultima primis.  
Principio invigilant non expectata legenti  
Promere, suspensosque animos novitate tenere,  
Atque per ambages seriem deducere rerum :  
Nec, quacunque viam suadet res gesta, sequuntur.  
Plerumque à mediis, arrepto tempore, fari  
Incipiunt, ubi facta vident jam carmine digna.  
Inde minutatum gestarum ad limina rerum  
Tendentes primâ repetunt ab origine factum.  
Hoc faciunt, operum primo ne in limine lector  
Hæreat, ignarusque viæ, incertusque laborum.  
Namque ubi eum metam jam tum statuere sub ipsam,  
Lætior ingreditur spe mentem arrectus inani,  
Dum putat exigui finem prope adesse laboris.  
Sed portus, quos ante oculos habet usque propinquos  
Appropans, jam jamque tenet similisque tenenti est,

Longa

Longa procul longo via dividit invia tractu:  
 Flectendi retro cursus, via plurima eunti  
 Restat adhuc, multumque illi maris æquor arandum.  
 Haud sapiens quisquam, annales ceu congerat, Ilii  
 Inchoet excidium veteri pastoris ab usque  
 Judicio, memorans ex ordine singula, quicquid  
 Ad Trojam Argolicis cessatum est Hectore duro.  
 Conveniet potius prope finem prælia tanta  
 Ordiri, atque graves iras de virgine raptâ  
 Averfi Æacidæ præmittere: tum fera bella  
 Consurgunt, tum pleni amnes Danaûmque, Phrygumque,  
 Xanthusque, Simoisque, & inundant sanguine fossæ.  
 Haud tamen interea quæ præcessere silendum,  
 Aulide jurantes Danaos, vectasque per æquor  
 Mille rates, raptusque Helenes, & conjugis iras,  
 Quæque novem Troja est annos perpesta priores.  
 Atque etiam in patriam si quis deducere adortus  
 Errantem Laëtiaden post Pergama capta,  
 Non illum Idæo solventem è littore classem  
 Cum sociis primùm memoret, Ciconesque subactos;  
 Sed jam tum Ogygiam delatum fistat ad alta  
 Virginis, amissis sociis, Atlantidos antra.  
 Exin post varios Phœacum in regna labores  
 Inferat: hic positis demum ipse miserrima mensis,  
 Erroresque suos narret, casusque suorum.  
 Ante tamen si gesta canunt, ab origine causas  
 Expediunt, quis dehinc status, & quæ tempora rerum.  
 Primus at ille labor versu tenuisse legentem  
 Suspensum, incertumque diu, qui denique rerum  
 Eventus maneant: quo tandem durus Achilles  
 Munere placatus regi rursum induat arma  
 In Teucros: cujusve Dei Laëtius heros

Auxilio, Polypheme, tuis evadat ab antris:  
 Lectores cupidi expectant, durantque volentes,  
 Nec perferre negant supereft quodcunque malorum,  
 Inde licet fessos somnus gravis avocet artus,  
 Aut epulis placanda fames, Cererisque libido:  
 Hoc studium, hanc operam sero dimittimus ægri.  
 Nonne vides ut sæpe aliquis nimis arte superbit  
 Improbus, & captis animis illudere gaudet,  
 Et nunc huc, deinde huc mentes deducit hiantes,  
 Suspenditque diu miseris, torquetque legentes?  
 Ille quidem si te magnum certamen Atridæ  
 Et Paridis, multo promissum carmine nuper,  
 Expectare avidum sævâque cupidine captum  
 Senserit, usque moras trahet ultro, & differet arma,  
 Dum celsâ Priamo patribusque è turre Lacenâ,  
 Nomine quemque suo, reges ostendet Achivos.  
 Ipsa procos etiam ut jussit certare sagittis  
 Penelope, optatas promittens callida tædas  
 Victori, per quanta moræ dispendia mentes  
 Suspensas trahet, ante viri quâm proferet arcum  
 Thesauris clausum antiquis, penitusque repositum?

Haud tamen omnino incertum metam usque sub ipsam  
 Exactorum operum lectorem in nube relinquunt.  
 Sed rerum eventus nonnullis sæpe canendo  
 Indiciis porro ostendunt in luce malignâ,  
 Sublustrique aliquid dant cernere noctis in umbrâ.  
 Hinc pater Æneam, multique instantia vates  
 Fata docent Latio bella, horrida bella manere,  
 Atque alium partum Trojanis rebus Achillem.  
 Spem tamen incendunt animo, firmantque labantem,  
 Spondentes meliora, & res in fine quietas.  
 Ipse quoque agnovit per se, cum in limite belli

Navibus

Navibus egressus turmas invasit agrestes,  
 Atque (omen pugnæ) prostravit marte Latinos,  
 Occiso, ante alias qui se se objecerat, hoste.  
 Fata Menœtiades etiam prædixerat olim  
 Victori moriens majori instare sub hoste,  
 Quamvis haud fuerit res credita. Tu quoque, Turne,  
 Prævidisse tuos poteras, heu! perdite, casus  
 Longè ante exitium, cum crebrò obscoena volucris  
 Per clypeum perque ora volans stridentibus alis  
 Omine turbavit mentem, admonuitque futuri.  
 Hinc tibi tempus erit, magno cum optaveris emptum  
 Intactum Pallanta, & cum spolia aurea baltei  
 Oderis, atque tibi haud stabit victoria parvo.  
 Nam juvat hæc ipsos inter præscisse legentes,  
 Quamvis sint & adhuc confusa, & nubila porro.  
 Haud aliter longinqua petit qui forte viator  
 Moenia, si positis altis in collibus arces  
 Nunc etiam dubias oculis videt, incipit ulti  
 Lætior ire viam, placidumque urgere laborem,  
 Quam cum nusquam ullæ cernuntur, quas adit, arces,  
 Obscurum sed iter tendit convallibus imis.

Tuque ideo nisi mente prius, nisi pectore toto  
 Crebra agites quodcumque canis, tecumque premendo  
 Totum opus ædifices, iterumque iterumque retractes,  
 Laudatum alterius frustra mirabere carmen.

Nec te fors inopina regat, casusque labantem:  
 Omnia consiliis provisa, animoque volenti  
 Certus age, ac semper nutu rationis eant res.  
 Quandoquidem sæpe incerti huc illucque vagamur,  
 Inque alia ex aliis invitî illabimur orsa,  
 Dum multa ac varians animis sententia surgit.  
 Sæpe vides primis ut quidam longius orsis

Digrediuntur, & obliti quasi cœpta priora  
 Longè aliis hærent nullâ sermonibus arte,  
 Et longos peragrant tractus aliena cānentes.  
 Ac velut in patriam peregrinâ si quis ab orâ  
 Ire cupit post exilium durosque labores,  
 Ille tamen recto non qua via tramite ducit  
 Carpit iter, sed nunc vagus hac, nunc errat & illac,  
 Undique dum studio fontes invisit inani,  
 Fontesque, fluviosque, & amœnos frigore lucos.  
 Nam quid opus gemmis armatos pingere currus,  
 Multa superque rotas, super axes multa morari  
 Tunc, cum bella manus poscunt, atque arma fremit Mars?  
 Nec siquem, indecoremque animi, pugnasque perosum  
 Egregios inter memoras heroas in armis  
 Castra sequi, cupidi expectant audire legentes  
 Quâ facie, quibus ille humeris, qualive capillo  
 Incedat, captusne oculo, an pes claudicet alter,  
 Aut longo vertex ductu consurgat acutus,  
 Ordine cuncta, aliud quasi nil tibi restat agendum.  
 Aptior Ausonius Drances, cui frigida bello  
 Dextra quidem, sed consiliis non futilis autor,  
 Dives opum, pollens linguâ & popularibus auris.  
 Multa tamen Graiae fert indulgentia linguæ,  
 Quæ nostros minus addeceant, graviora sequentes.

Quid tibi nonnullas artes, studiumque minorum  
 Indignum referam? Sunt qui, ut se plurima nosse  
 Ostentent, pateatque suarum opulentia rerum,  
 Quicquid opum congefferunt, sine more, sine arte  
 Irrisi effundunt, & versibus omnia acervant:  
 Præcipuè siquid summotum, siquid opertum,  
 Atque parum vulgi notum auribus, aut radiantis  
 De cœli arcanâ ratione, Deûmve remotâ

Naturâ,

Naturâ, aut animæ obscuro impenetrabilis ortu.  
 Sæpe etiam accumulant antiqua exempla virorum,  
 Carminis ingratum genus ! hinc atque inde petita,  
 Quamvis sæpe illis tempusque locusque repugnet.  
 Ne, pueri, ne talem animis inducite morem,  
 Nec vos decipiat laudis tam dira cupidio.  
 Haud sum animi dubius magnos memorare poëtas  
 Interdum Solisque vias, Lunæque labores,  
 Astrorumque ortus, quâ vi tumida æquora surgant,  
 Unde tremor terris, quamvis illi orsa sequantur  
 Longè alia, aut duri cantantes prælia Martis,  
 Aut terræ mores varios, cultusque docentes.  
 At prius invenere locum, dein, tempore capto,  
 Talia subjiciunt parci, nec sponte videntur  
 Fari ea : rem credas hoc ipsam poscere, ita astum  
 Dissimulant, aditusque petunt super omnia molles.  
 Cur pater Anchises natum opportuna rogantem  
 Non doceat, rursumne animæ semel æthere cassæ  
 Ad cœlum redeant, blandique ad luminis auras ?  
 Igneus anne ollis vigor, & cœlestis origo  
 Seminibus, quantum non noxia corpora tardant ?  
 Quandoquidem, ut varium sit opus, namque inde voluptas  
 Grata venit, rebus non usque hærebis in iisdem.  
 Verum ubi vis animis varius succurrere fessis,  
 Ingrederisque novas facies, rerumque figuræ,  
 Paulatim capto primis delabere cœptis  
 Tempore, nec positis insit violentia rebus :  
 Omnia sponte suâ veniant, lateatque vagandi  
 Dulcis amor, cunctamque potens labor occulat artem.  
 Sic olim Æneæ venturi haud inscius ævi  
 Res Italum in clypeo, Romanorumque triumphos,  
 Fecerat Ignipotens, pugnataque in ordine bella,

Stirpis ab Ascanio quondam genus omne futurum.  
 Tum si quis Latio cretus de sanguine vates  
 Prosequitur varias oras moresque locorum,  
 Medosque, Æthiopasque, & dites arboris Indos;  
 Immemor ille nimis patriæ, oblitusve suorum,  
 Si non Italiæ laudes æquaverit astris,  
 Cui neque Medorum sylyæ, neque Bactra, neque Indi,  
 Totaque thuriferis Panchaia certet arenis.

Quare etiam, egregii vates, ego carmina vestra  
 Haud equidem arguerim, qui pectora fessa legentum  
 Interdum, atque aures recreatis carmine dulci.  
 Non ego, post Celei crates, post tribula dicta,  
 Rastraque, plaustraque, & inflexo cum vomere aratra,  
 Addubitem flere extinti miserabile funus  
 Romani ducis: aut ruris laudare quietem  
 Post vites dictas Bacchi, & sylvestria dona.  
 Vidi etiam, qui jam perfecto munere longam  
 Subjecere moram, extremo sub fine vagantes  
 Exactorum operum, vacuâ dum carmina musâ  
 In longum traherent, cujus dulcedine mirâ  
 Fessi animi cuperent iterumque iterumque redire,  
 Me nulla idcirco quiret vis sistere, quin, post  
 Naturas & apum dictas & liquida mella,  
 Tristis Aristæi questus, monitusque parentis  
 Prosequerer dulci sermone, & Protea vincitum.  
 Addam Threïcii carmen miserabile vatis,  
 Qualis populeâ queritur Philomela sub umbrâ,  
 Ut Rhodope, ut Pangæa fleant, Rhesi ut domus alta,  
 Atque Getæ, atque Hebrus, & Actias Orithyia.  
 Non aliam ob causam reges qui in prælia euntes  
 Dinumerant, populosque, moram traxere canentes  
 Aut Ligurum regi, ob casum Phæthontis amati

Dum

Dum gemit & moestum musâ solatur amorem,  
 In sylvis cano natas in corpore plumas:  
 Aut rursum Hippolytum superas venisse sub auras  
 Pæoniis revocatum herbis, & amore Dianæ.  
 Nec verò interea quæ cuique insignia, quæ arma  
 Prætereunt; pingunt clypeos, atque Hercule pulchro  
 Pulcher Aventinus satus olim insigne paternum  
 Centum angues, cinctamque gerit serpentibus Hydram.  
 Sæpe etiam loca amœna canunt, & frigida Tempe.  
 Nunc variis pingunt cum floribus auricomum ver;  
 Nunc virides liquidis inducunt fontibus umbras,  
 Crebraque fluviorum in ripis spatiantur opacis,  
 Aut Veneti Eridani, aut Ætolì Acheloi.  
 Addunt & Panas, Faunos, Dryadasque puellas,  
 Et centum æquoreas Nero genitore sorores.

Sæpe tamen memorandum inter ludicra memento  
 Permisere aliquid, breviter mortalia corda  
 Quod moveat, tangens humanæ commoda vitæ,  
 Quodque olim jubeant natos meminisse parentes.

At non exiguis etiam te infistere rebus  
 Abnuerim, si magna voles componere parvis,  
 Aut apibus Tyrios, aut Trojâ ex urbe profectos  
 Formicis, Libycum properant dum linquere littus.  
 Sed non Ausonii rectè foedissima musca  
 Militis æquarit numerum, cum plurima mulctrâ  
 Pervolitat, neque enim in Latio magno ore sonantem  
 Arma ducesque decet tam viles decidere in res.  
 Nec dictis erit ullus honos, si cum actus ab urbe  
 Daunius hostili Teucris urgentibus heros  
 Vix pugnâ absistit, similis dicetur asello,  
 Quem pueri læto pascentem pingua in agro  
 Ordea stipitibus duris detrudere tendunt

Instantes,

Instantes, quatiuntque fudes per terga, per armos:  
 Ille autem campo vix cedere, & inter eundum  
 Sæpe hic atque illic avidis insistere malis.

Omnia convenient, rerumque simillima imago est:  
 Credo equidem; sed turpe pecus: nec Turnus asellum,  
 Turnus avis atavisque potens, dignabitur heros.  
 Aptius hanc speciem referet leo, quem neque terga  
 Ira dare aut virtus patitur, neque sufficit unus  
 Tendere tot contra, telisque obstare sequentum.

Hoc quoque non studiis nobis levioribus instat  
 Curandum, ut, quando non semper vera profamur  
 Fingentes, saltem sint illa simillima veris.  
 Vidi aliquos, qui, cum Glauco medio æquore belli  
 Tydides ferus occurrit, vix credere possunt  
 Tot traxisse moras longis sermonibus usos  
 Inter se ambos, dum fervent omnia cæde.  
 Alter enim duri narrat fera fata Lycurgi,  
 Crimine damnati falso alter Bellerophontis  
 Facta refert, magnâ domitam virtute Chimæram,  
 Et viatos pariter Solymos & Amazonas armis.  
 Nam quæ multa canunt ficta & non credita vates,  
 Dulcia quo vacuas teneant mendacia mentes,  
 Illis nulla fides, quam nec sibi denique aperti  
 Exposcunt, nec dissimulant, licet omnia obumbrant  
 Religione Deûm, quæ non credenda profantur.  
 Idcirco solis perhibent armenta loquuta  
 Mortua, & in verubus Vulcano tosta colurnis,  
 Ut minus acris equos itidem miremur Achillis,  
 Verbaque veliferas rostris fudisse carinas;  
 Omnia quæ portâ veniunt insomnia eburnâ.  
 Disce etiam, pulchri tibi si cura ordinis ulla est,  
 Res tantum s̄nel effari: repetita bis aures

Ferre

Ferre negant, subeunt fessas fastidia mentes :  
 Quanquam etiam hic nostris cernes differre Pelasgos.  
 Nam tibi non referent femel illi somnia Atridæ :  
 Nec sat erit, si rettulerint quid fortis Achilles  
 Mente dolens Danaum sese subduxerit armis,  
 Ipse iterum Æacides nisi solo in littore ponti  
 Flens eadem æquoreæ narravit omnia matri.  
 Quinetiam reges cum dant mandata ferenda  
 Cuncta canunt prius ipsi, eadem mox carmine eodem  
 Missi oratores repetunt, nihil ordine verso.  
 Non sic Ausonius Venulus, legatus ab Arpis  
 Cum redit, Ætolî referens responsa tyrañni.

Altum aliis assurgat opus : tu nocte dieque  
 Exiguum meditator, ubi sint omnia culta,  
 Et visenda novis iterumque iterumque figuris.  
 Quod si longarum cordi magis ampla viarum  
 Sunt spatia, angustis cum rès tibi finibus arcta,  
 In longum trahito arte : viæ tibi mille trahendi,  
 Mille modi : nam ficta potes multa addere veris,  
 Et petere hinc illinc variarum semina rerum.  
 Nonne vides, ut nostra Deos in prælia ducant,  
 Hos Teucris, alias Danais socia arma ferentes,  
 Certantesque inter se odiis, donec pater ipse  
 Concilium vocet, atque ingentes molliat iras ?  
 Cum secura tamen penitus natura Deorum  
 Degat, & aspectu nostro summota quiescat.  
 Addunt infernasque domos, regna invia vivis,  
 Tartareosque lacus, Ditemque, & Erinnyas atras.  
 Tum volucrum captant cantus, atque omina pennæ :  
 Sæpe etiam hospitibus convivia læta receptis,  
 Regalesque canunt epulas, ubi multa repostis  
 Narrantur dapibus vario sermone vicissim.

Nunc

Nunc ludos celebrant magnorum ad busta virorum:  
 Annua nunc patriis peragunt Diis sacra periclo  
 Servati quondam, laudesque ad sidera tollunt  
 Aut Phœbi, monstro ingenti Pythonem perempto,  
 Aut magni Alcidæ, Cacum ut videre jacentem :  
 Rege sub Eurysteo tulerit quos ille labores  
 Alterni repetunt cantu : super omnia Caci  
 Speluncam adjiciunt, spirantemque ignibus ipsum.

Ap memorem, quandoque omnes intendere nervos  
 Cum libuit, verbisque ipsam rem æquare canendo ?  
 Seu dicenda feri tempestas horrida ponti,  
 Ventorum & rabies, fractæque ad faxa carinæ  
 Aut Siculo angusto, aut impacato Euxino :  
 Sive coorta repente lues, cum multa ferarum  
 Corpora, multa hominum letho data : sive Sicanâ  
 Dicendum quantis terrâ tonet Ætna ruinis,  
 Prorumpens atram cœli usque ad sidera nubem,  
 Turbine fumantem piceo, & candente favillâ.  
 Vidisti, cum bella canunt horrentia & arma,  
 Arma fremunt, miscentque equitum peditumque ruinas ;  
 Ante oculos Martis sese offert tristis imago,  
 Non tantum ut dici videantur, sed fieri res,  
 Unde ipsis nomen Graii fecere poëtis :  
 Armorum fragor audiri, gemitusque cadentum,  
 Cædendumque iactus, & inania vota precantum.  
 Quis quoque, cum captas evolvunt hostibus urbes,  
 Temperet à lachrymis ? tectorum ad culmina fævas  
 Ire faces, passimque domos involvere flamas  
 Cernere erit, trepidosque senes, puerosque parentes  
 Amplexos, flentesque ipsas ad sidera matres  
 Tollentes clamorem, hostes interque suosque :  
 Abstractaque nurus adytis, arisque Deorum,

Et

Et crinem laniare, & pectora tundere palmis :  
 Hos fugere, ast illos ingentem abducere prædam,  
 Perque domos perque alta ruunt delubra Deorum,  
 Atque hoc atque illuc totâ discurritur urbe. [vis?]

Quid cum animis facer est furor additus, atque potens  
 Nam variant species animorum, & pectora nostra  
 Nunc hos, nunc illos, multo discrimine, motus  
 Concipiunt ; seu quod cœli mutatur in horas  
 Tempestas, hominumque simul quoque pectora mutant ;  
 Seu quia non iidem respondent sæpe labore  
 Sensus effecti, atque animus cum corpore languet ;  
 Seu quia curarum interdum vacuique doloris,  
 Interdum tristes cæco intus tundimur æstu.  
 Dii potius nostris ardorem hunc mentibus addunt,  
 Dii potius : felixque ideo qui tempora quivit,  
 Adventumque Dei, & sacrum expectare calorem,  
 Paulisperque operi posito subducere mentem,  
 Mutati donec redeat clementia cœli.  
 Sponte suâ veniet justum, ne accersite, tempus.  
 Interdum & sylvis frondes, & fontibus humor  
 Desunt, nec viciis semper cava flumina ripis  
 Plena fluunt, nec semper agros ver pingit apricos.  
 Sors eadem incertis contingit sæpe poëtis.  
 Interdum exhaustæ languent ad carmina vires,  
 Absumptusque vigor, studiorumque immemor est mens,  
 Torpescunt sensus, circum præcordia sanguis  
 Stat gelidus ; credas penitus migrasse Camœnas,  
 Notaque nunquam ipsum redditum in pectora Phœbum ;  
 Nil adeo Musæ, nil subvenit autor Apollo.  
 Ah ! quoties aliquis frustra consueta retentat  
 Munera, nec cernit cœlum se tendere contra,  
 Adversosque Deos, atque implacabile numen !

Quidam

Quidam autem inventus, qui sæpe reduceret auras  
 Optatas veterum cantando carmina vatum,  
 Paulatimque animo blandum invitaret amorem,  
 Donec collectæ vires, animique resepti,  
 Et rediit vigor ille, velut post nubila & imbræ  
 Sol micat æthereus: unde hæc tam clara repente  
 Tempestas? Deus ecce! Deus jam corda fatigat,  
 Altius insinuat venis, penitusque per artus  
 Diditur, atque faces sævas sub pectore versat.  
 Nec se jam capit acer agens calor, igneaque intus  
 Vis sævit, totoque agitat se corpore numen.  
 Ille autem exultans jaætat jam non sua verba,  
 Oblitusque hominem mirum sonat: haud potis ignem  
 Excutere, invitum miratur se ire, rapique  
 Præcipitem, te, Phœbe, vocans, te, Phœbe, prementem  
 Vociferans, plenusque Deo, stimulisque subactus  
 Haud placidis; non ille dapum, non ille quietis  
 Aut somni memor, hanc potis est deponere curam.  
 Sæpe etiam in somnis memores Phœbeïa versant  
 Munera, & inventi quidam qui sæpe sopore  
 In medio Musis cecinere & Apolline digna.  
 Tantus amor famæ, præsentis tanta Dei vis!  
 Ne tamen ah! nimium, puer, ô ne fide calori:  
 Non te fortunâ semper permittimus uti,  
 Præsentique aurâ, sævum dum pectore numen  
 Insidet: at potius ratioque & cura resistat.  
 Fræno siste furentem animum, & sub signa vocato,  
 Et premere, & laxas scito dare cautus habenas.  
 Atque ideo semper tunc expectare jubemus  
 Dum fuerint placati animi, compressus & omnis  
 Impetus: hic recolens sedato corde revise  
 Omnia, quæ cæcus menti subjecerit ardor.

Præterea

Præterea haud lateat te, nil conarier artem,  
 Naturam nisi ut assimulet, propiusque sequatur.  
 Hanc unam vates sibi proposuere magistrum:  
 Quicquid agunt, hujus semper vestigia servant.  
 Hinc varios moresque hominum, moresque animantium,  
 Aut studia imparibus diversa ætatibus apta  
 Effingunt facie verborum, & imagine reddunt  
 Quæ tardosque senes deceant, juvenesque virentes,  
 Foemineumque genus, quantum quoque rura colenti,  
 Aut famulo distet regum alto è sanguine cretus.  
 Nam mihi non placeat, teneros si sit gravis annos  
 Telemachus supra, senior si Nestor inani  
 Gaudeat & ludo, & canibus, pictisve pharetris.  
 Et quoniam in nostro multi persæpe loquuntur  
 Carmine, verba illis pro conditione virorum  
 Aut rerum damus, & proprii tribuuntur honores,  
 Cuique suus, seu mas, seu foemina, sive Deus sit.  
 Semper enim summus Divum pater atque hominum rex  
 Ipse in concilio fatur, si fortè coorta  
 Seditio, paucis: at non Venus aurea contra  
 Pauca refert, Teucrum indignos miserata labores.  
 Ingreditur furiis, atque alta silentia rumpit,  
 Acta furore gravi, Juno, ac fœta usque querelis.  
 Cumque etiam juveni gliscat violentia major,  
 Ardens cui virtus, animusque in pectore præsens,  
 Nulla mora in Turno, nec dicta animosa retractat:  
 Stat conferre manum, & certamine provocat hostem,  
 Desertorem Asiae: verum quantum ille feroci  
 Virtute exuperat, tanto est impensius æquum  
 Et pietate gravem, & sedato corde Latinum  
 Consulere, atque omnes metuentem expendere casus.  
 Multum etiam intererit, Didone irata loquatur,

An

An pacato animo ; Libycas si linquere terras  
 Trojanus paret, & desertum fallere amorem,  
 Sæviet, ac totâ passim bacchabitur urbe,  
 Mensis inops, immanis, atrox verba aspera rumpet  
 Confusasque dabit voces, incertaque, & anceps  
 Quæ quibus anteferat ; quantum ah ! distabit ab illâ  
 Didone, excepit Teucros quæ nuper egentes,  
 Solvere corde metum atque jubens secludere curas,  
 Invitansque suis vellent confidere regnis !

Nec te oratores pigeat artisque magistros  
 Consuluisse, Sinon Phrygios quo fallere possit  
 Arte, dolis quocunque animos impellere doctus ;  
 Quove tenere queat Graios fandi autor Ulysses  
 Stante domum Trojâ tandem discedere certos.  
 Quid tibi nunc dulcem præ cunctis Nestora dicam,  
 Qui toties inter priores Argivorum  
 Ingentes potuit verbis componere lites,  
 Et mulcere animos, & mollia fingere corda ?  
 Artibus his certè Cytherea instructa, dolisque,  
 Arma rogat nato genitrix, & adultera læsum  
 Vulcanum alloquitur, dictisque aspirat amorem.  
 Nam causas petit ex alto indepensa, virique  
 Circuit occultâ verborum indagine mentem.  
 Discitur hinc etenim sensus mentesque legendum  
 Flectere, diversoque animis motus dare, ut illis  
 Imperet arte potens, dictu mirabile, vates.  
 Nam semper, seu læta canat, seu tristia mœrens,  
 Affectas implet tacitâ dulcedine mentes.  
 Quem non Threicci quondam fors aspera vatis  
 Molliat, amissam dum solo in littore secum,  
 Eurydice, solans ægrum testudine amorem,  
 Te, veniente die, te, decedente vocaret ?

Quid? puer Euryalus cum pulchros volvitur artus,  
 Ah dolor! inque humeros lapsa cervice recumbens  
 Languescit moriens, ceu flos succisus aratro;  
 Ardet adire animus lectori, & currere in ipsum  
 Volscentem, puerique manum supponere mento  
 Labenti, ac largum frustra prohibere cruentem  
 Purpureo niveum signantem flumine pectus.

Postremò, tibi si qua instant dicenda, ruborem  
 Quæ tenerum incuterent Musis adaperta, chorisque  
 Virgineis, molli vel præterlabere tactu  
 Diffimulans, vel verte aliò, & rem suffice fictam.  
 Si pater omnipotens tonitru cœlum omne ciebit,  
 Speluncam Dido dux & Trojanus eandem  
 Deveniant: pudor ulterius nihil addere curet.  
 Nam sat erit, Tellus quod prima & conscius Æther  
 Connubii dent signum, ululentque in vertice Nymphæ.  
 Neve aliis, impar nimium, ne Troilus armis  
 Ah! puer infelix facito concurrat Achilli,  
 Quàm quibus in Libyco conspexit littore pictum  
 Illum Anchisiades heros, dum victus anhelis.  
 Fertur equis, curruque hæret resupinus inani:  
 Nec pueri veros congressus dicere cures.  
 Quid deceat, quid non, tibi nostri ostendere possunt:  
 Inventa ex aliis disce, & te plurima Achivos  
 Consulere hortamur veteres, Argivaque regna  
 Explorare oculis, & opimam avertere gazam  
 In Latium, atque domum lætum spolia ampla rescrre.  
 Haud minor est adeo virtus, si te audit Apollo,  
 Inventa Argivum in patriam convertere vocem,  
 Quàm si tute aliquid intactum inveneris ante.  
 Aspice ut insignis peregrino incedat in auro  
 Fatidicæ Mantûs, & Mincî filius amnis!

M

Fulgeat

Fulgeat ut magni exuvias indutus Homeri !  
 Nec pudet. Egregias artes ostenderit, esto,  
 Græcia, tradiderit Latio præclara reperta,  
 Dum post in melius aliunde accepta Latini  
 Omnia rettulerint, dum longè maxima Roma  
 Ut belli studiis, ita doctis artibus omnes,  
 Quot Sol cunque videt terrarum, anteiverit urbes.

Dii Romæ indigetes, Trojæ tuque autor, Apollo,  
 Unde genus nostrum cœli se tollit ad astra,  
 Hanc saltem auferri laudem prohibete Latinis :  
 Artibus emineat semper studiisque Minervæ  
 Italia, & gentes doceat pulcherrima Roma,  
 Quandoquidem armorum penitus fortuna recessit,  
 Tanta Italos inter crevit discordia reges.  
 Ipsi nos inter sœvos distingimus enses,  
 Nec patriam pudet externis aperire tyrannis.  
 Spes tamen Italiæ prostratae affulserat ingens  
 Nuper, & egregiis animos exererat ausis :  
 Heu frustra ! invidit laudi fors læva Latinæ,  
 Necdum fata malis Italum exaturata quierunt.  
 Jam gentes longè positas trepidare, ducesque  
 Externi : jam dives Arabs, jam Nilus, & Indus  
 Audierant longè Tusci decora alta Leonis,  
 Audierant MEDICUMque genus, stirpemque Deorum :  
 Jam tum ille egregias curas accinxerat ardens  
 Pro patriæ decoro, pro libertate sepultâ  
 Antiquæ Ausoniæ, germano fretus Iulo,  
 Quicum partitus curarum ingentia semper  
 Pondera commissas rerum tractabat habenas,  
 Idem regnatorque hominum, Diximusque sacerdos.  
 Jamque illum Europæ reges, genfque omnis in unum  
 Conversique oculos, conversique ora tenebant ;

Jamque

Jamque duces animis illum concordibus omnes  
Velle sequi trepidos in Turcas arma parantem.  
Illum quadrijugo invectum per moenia curru,  
Roma, triumphato vidisses protinus orbe:  
Illum, Tybri pater, lætanti spumeus alveo  
Exciperes, Tuscus Tuscum, veheresque per undas  
Miratas habitusque novos, hominumque figuræ.  
Issent post currus capti longo ordine reges:  
Oblitusque minas minor iret barbarus hostis,  
Qui victis Solymis nunc atque oriente subacto  
Exultat fidens, orbisque affectat habenas  
Efferus, atque Italæ jam jam (scelus !) immainet oræ.  
Visendi studio passim Romana juventus  
Per fora, perque vias, festâ discurreret urbe.  
Ipse suos folio fulgens pater aureus alto  
Aspiceret cives longo post tempore visos;  
Barbaricumque aurum, prædæque juberet acervos  
Sacratis adytis penitusque altâ arce reponi.  
Verum heu ! Dii, vestrum erimen ! spes tanta repente  
Italæ absumpta, ac penitus fiducia cessit !  
Egregius moriens heros secum omnia vertit !

## LIBER TERTIUS.

## ARGUMENTUM.

*Stylus poëticus proponitur explicandus. Is debet esse perspicuus, & quam maximè variatus. Metaphorarum usus, & causa. Poëtis major licentia quam scriptoribus aliis conceditur. De hyperbole, metonymiâ, apostrophe, ironiâ, & anaphorâ. Nihil dicendum per catachresin. De usu Eukròos. Verborum delectus habendus. Hunc qualem esse oportuerit, exempla veterum poëtarum docebunt. Inter illos insignioris alicujus vestigiis infistendum est. Minus illustres non omnino rejiciendi; nam ex iis feligi possunt quæ in melius referantur. De poëtis cultioribus imitandis. Sæpe alludendum est ad antiquorum dicta. Verbis è Græco fonte depromptis, barbaris item, & obsoletis non-nunquam locus est. De periphrasi, & verborum compositione. Hæc licentius usurpata Latinos minus quam Græcos deceat. De tmesi & syncope. Nomina asperiora arte sunt emollienda. Rebus verba, non verbis res, inserviant. Versuum sonus pro materiæ genere variandus est. De scriptis emendandis. Praecepta, Diis non faventibus, parum valent. Autor è numero poëtarum se modestè eximit, & inde delabitur in laudes Virgilii.*

**N**UNC autem linguae studium, moremque loquendi,  
Quem vates, Musæque probent, atque autor Apollo,  
Expediam, curam extremam, finemque laborum.  
Discendum indicia, & verborum lumina quæ sint  
Munere Pieridum lustrandis addita rebus.  
Né te, opere incepto, deterreat ardua meta;

Auden-

Audendum, puer, atque invicto pectore agendum.  
 Jam te Pierides summā en! de rupe propinquum  
 Voce vocant, viridique ostentant fronde coronam  
 Victori, atque animo stimulos hortatibus addunt.  
 Jamque rosas calathis spargunt per nubila plenis  
 Desuper, & florū placido te plurima nimbo  
 Tempestas operit, gratumque effusus odorem  
 Ambrosiæ liquor aspirat, divina voluptas.

Verborum in primis tenebras suge, nubilaque atra;  
 Nam neque (si tantum fas credere) defuit olim,  
 Qui, lumen jucundum ultro lucemque perosus,  
 Obscuro nebulæ se circumfudit amictu:  
 Tantus amor noctis, latebræ tam dira cupido.  
 Ille ego sim, cui Pierides dent carmina Musæ  
 Lumine clara suo, externæ nihil indiga lucis.  
 Nec tamen id votis optandum denique magnis:  
 Ipse volens per te poteris; vis Dædala fandi  
 Tot se adeo in facies, tot se convertit in ora,  
 Mille trahens variâ secum ratione colores.  
 Mille modis aperire datur mentisque latebras,  
 Quique latent tacito arcani sub pectore motus.  
 Si tibi, dum trepidas, non hac successerit, & lux  
 Non datur hinc, te verte aliò, lumenque require  
 Nunc hac, nunc illac, donec diffulserit ultro,  
 Claraque tempestas cœlo radiarit aperto.  
 Quinetiam, angustis si non urgebere rebus,  
 Cum fandi tibi mille viæ, tibi mille figuræ  
 Occurrent, tu mille vias, tu mille figuræ,  
 Nunc hanc, nunc aliam ingredere, & mutare memento  
 Jamque hos jamque alios haud segnis sumere vultus.  
 Nempe inde illectas aures immensa voluptas  
 Detinet, & dulci pertentat pectora motu.

Ergo.

M 3

Ergo omnem curam impendunt, ut cernere nusquam  
 Sit formas similes, naturæ exempla sequuti,  
 Dissimili quod sint facie quæcunque sub astris  
 Vitales carpunt auras, genus omne ferarum  
 Atque hominum, pictæ volucres, mutæque natantes,  
 Nonne vides, verbis ut veris sæpe relictis  
 Accersant simulata, aliundeque nomina porro  
 Transportent, aptentque alijs ea rebus, ut ipsæ  
 Exuviasque novas res insolitosque colores  
 Indutæ sæpe externi mirentur amictus  
 Unde illi, lætæque alienâ luce fruantur,  
 Mutatoque habitu, nec jam sua nomina mallent?  
 Sæpe ideo, cum bella canunt, incendia credas  
 Cernere, diluviumque ingens, surgentibus undis,  
 Contra etiam Martis pugnas imitabitur ignis,  
 Cum furit accensis acies Vulcania campis.  
 Nec turbato oritur quondam minor æquore turba;  
 Configunt animosi Euri certamine vasto  
 Inter se, pugnantque adversis molibus undæ.  
 Usque adeò passim sua res insignia lætæ  
 Permutantque, juvantque vicissim, & mutua seſe  
 Altera in alterius transformat protinus ora.  
 Tum specie capti gaudent spectare legentes:  
 Nam diversa simul datur è re cernere eādem  
 Multarum simulacra animo subeuntia rerum.  
 Ceu cum fortè olim placidi liquidissima ponti  
 Äquora vicinâ aspectat de rupe viator,  
 Tantùm illi subjecta oculis est mobilis unda;  
 Ille tamen sylvas interque virentia præta  
 Inspiciens miratur, aquæ quæ purior humor  
 Cuncta refert, captosque eludit imagine visus.  
 Non aliter vates nunc huc traducere mentes,

Nunc

Nunc illuc, animisque legentum apponere gaudet  
 Diversas rerum species, dum tædia vitat.  
 Res humiles ille interea non secius effert,  
 Splendore illustrans alieno, & lumine vestit,  
 Verborumque simul vitat dispendia parcus.  
 Hunc fandi morem, si vera audivimus, ipsi  
 Cœlicolæ exercent coeli in penetralibus altis,  
 Pieridum chorus in terras quem detulit olim,  
 Atque homines docuere Deûm præclara reperta.  
 Illæ etenim Jovis æthereâ dicuntur in aulâ  
 Immixtæ Superis festas agitare choreas,  
 Et semper canere alternæ, Phœbique fruuntur  
 Colloquio, vatumque inspirant pectora ab alto.  
 Nec tamen haud solis fugit hæc me nota poëtis,  
 Verum etiam autores alii experiuntur, & audent,  
 Præcipuè orantes causas, fandiique magistri,  
 Seu fontes tendant legum compescere habenis,  
 Seu charos cupiant atris è mortis amicos  
 Faucibus eripere, & defletos reddere luci.  
 Quinetiam agricolas ea fandi nota voluptas  
 Exereet, dum læta seges, dum trudere gemmas  
 Incipiunt vites, sitientiaque ætheris imbre  
 Prata bibunt, ridentque, satis surgentibus, agri.  
 Hanc vulgo speciem propriæ penuria vocis  
 Intulit, indictisque urgens in rebus egestas.  
 Quippe, ubi se vera ostendebant nomina nusquam,  
 Fas erat hinc atque hinc transferre simillima veris.  
 Paulatim accrevere artes, hominumque libido:  
 Quodque olim usus inops reperit, nunc ipsa voluptas  
 Postulat, hunc addens verborum rebus honorem.  
 Sic homines primùm venti vis aspera adegit,  
 Vitandique imbre, stipulis horrentia testa

Pompe,

M 4

Ponere, & informi sedem arctam claudere limo:  
 Nunc altæ æratis trabibus Pariisque columnis  
 Regifco surgunt ædes ad sidera luxu.  
 Parcius ista tamen delibant, & minus audent  
 Artifices alii, nec tanta licentia fandi  
 Cuique datur, solis vulgo concessa poëtis:  
 Nempe pedum hi duris cohibentur legibus, & se  
 Sponte suâ spatiis angusti temporis arctant:  
 Liberius fas campum aliis decurrere apertum.  
 Sacri igitur vates, facta atque infecta canentes,  
 Libertate palam gaudent majore loquendi,  
 Quæsitique decent cultus magis, atque colores  
 Insoliti, nec erit tanto ars depensa pudori.

Crebrius hi fando gaudent super æthera miris  
 Tollere res (nec sit fas tantum credere) dictis;  
 It cœlo clamor, tremit omnis murmure Olympus.  
 Nec mora, bis vocem ingeminant, urbisque ruinas,  
 Fataque, præliaque, & fortem execrantur iniquam,  
 O pater! ô patria! ô Priami domus inclyta quondam!  
 Clamantes, cecidit, pro Jupiter! Ilion ingens.

Quid cum Neptunum dicunt mare, vina Lyæum,  
 Et Cererem frumenta, patrumquè è nomine natos  
 Significant, memorantque urbes pro civibus ipsis?  
 Atque ideo timor attonitos cum invaserit Afros,  
 Africa terribili tremit horrida terra tumultu.  
 Nec deerit tibi, pro fluviis, proque omnibus undis  
 Pocula qui pressis Acheloia misceat uvis.

Ecce! autem subitis conversi vocibus ultro  
 Sæpe aliquem longè absentem, desertaque & antra,  
 Et solos montes affantur, sæpe salutant  
 Sylvasque fluviosque, & agros, sensuque carentes

Speluncas,

Speluncas, velut hæc sint responsura vocata;  
Et vos ô vacui compellant nomine saltus.

Præterea verbis inimicos addere sensus  
Oppositis, dum dissimulant, aliudque videbis  
Sæpe loqui, atque aliud simulat condere mente.  
Egregia interea conjux ita nocte supremâ  
Deiphobo fidum capiti subduxerat ensem.  
Nec minus insignis Drances cum stragis acerbos  
Tot dedit, & claris insigniit arva trophæis.

Quid sequar ulterius, quantâ dulcedine captas  
Detineant aures, vocem cum rursus eandem  
Ingeminant, modo non verborum cogat egestas?  
Pan etiam Arcadiâ neget hoc si judice præsens,  
Pan, etiam Arcadiâ dicam te judice vanum.

Hæc adeo cum sint, cum fas audere poëtis  
Multa modis multis, tamen observare memento,  
Si quando haud propriis rem mavis dicere verbis,  
Translatisque aliunde notis, longeque petitis,  
Ne nimiam ostendas quærendo talia curam.  
Namque aliqui exercent vim duram, & rebus iniqui  
Nativam eripiunt formam, indignantibus ipsis,  
Invitasque jubent alienos sumere vultus.  
Haud magis imprudens mihi erit, & luminis expers,  
Qui puero ingentes habitus dat ferre gigantis,  
Quàm si quis stabula alta lares appellat equinos,  
Aut crines magnæ genitricis grama dicat.  
Præstiterit verò faciem spolia & sua cuique  
Linquere, & interdum propriis rem prodere verbis,  
Indicisque suis, ea sint modo digna Camœnisi.

Res etiam poteris rebus conferre vicissim,  
Nominibusque ambas verisque suisque vocare;  
Quod faciens, fuge verborum dispendia, paucisque

Incladas numeris, unde illa simillima imago  
 Dicitur, & breviter confer, ne fortè priorum  
 Oblitus sermonum alio traducere intentem,  
 Inque alia ex aliis videare exordia labi.

Jamque age verborum qui sit delectus habendus;  
 Quæ ratio: nam nec sunt omnia versibus apta,  
 Omnia nec pariter tibi sunt uno ordine habenda.  
 Versibus ipsa etiam divisa, & carmina quantum  
 Carminibus distant, tantum distantia verba  
 Sunt etiam inter se, quamvis communia multa  
 Interdum invenies versus diffusa per omnes.  
 Multa decent scenam, quæ sunt fugienda canenti  
 Aut Divum laudes, aut heroum inclita facta.  
 Ergo altè vestiga oculis, aciemque voluta  
 Verborum sylvâ in magnâ: tum accommoda Musis  
 Selige, & insignes vocum depascere honores,  
 Ut nitidus puro versus tibi fulgeat auro.  
 Rejice degenerem turbam nil lucis habentem,  
 Indecoresque notas, ne sit non digna supellex.  
 Qui fieri id possit veterum te semita vatum  
 Observata docebit: adi monumenta priorum  
 Crebra oculis animoque legens, & multa voluta.  
 Tum quamvis, longè si quis supereminet omnes,  
 Virtutem ex illo ac rationem discere fandi  
 Te jubeam, cui contendas te reddere semper  
 Assimilem, atque habitus gressusque effingere euntis,  
 Quantum fata sinunt, & non aversus Apollo:  
 Haud tamen interea reliquum explorare labores  
 Abstiteris vatum, inoneo, suspectaque dicta  
 Sublegere, & variam ex cunctis abducere gazam.  
 Nec dubitem versus hirsuti saepe poëtæ  
 Suspensus lustrare, & vestigare legendo,

Sicubi

Sicuti se quædam fortè inter commoda versu  
 Dicta meo offendant, quæ mox melioribus ipse  
 Auspiciis proprios possim mihi vertere in usus,  
 Detersa prorsus priscâ rubigine scabrà.  
 Flumina sæpe vides immundo turbida limo ;  
 Haurit aquam tamen inde frequens concursus, & altis  
 Important puteis ad pocula ; desuper illa  
 Occultis diffusa canalibus influit, omnemque  
 Illabens bibulas labem exuit inter arenas.  
 Nil adeo incultum, quod non splendescere possit :  
 Præcipuè si cura vigil non desit, & usque  
 Mente premas, multumque animo tecum ipse volutes.  
 Atque ideo ex priscis semper quo more loquamur  
 Discendum, quorum depascimur aurea dicta,  
 Præcipuumque avidi rerum populamus honorem.  
 Aspice ut exuvias veterumque insignia nobis  
 Aptemus : rerum accipimus nunc clara reperta,  
 Nunc seriem atque animum verborum, verba quoque ipsa :  
 Nec pudet interdum alterius nos ore loquutos.  
 Cum verò cultis moliris fulta poëtis,  
 Cautius ingredere, & raptus memor occule versis  
 Verborum indiciis, atque ordine falle legentes  
 Mutato : nova sit facies, nova prorsus imago.  
 Munere (nec longum tempus) vix ipse peracto  
 Dicta recognoscet veteris mutata poëtæ.  
 Sæpe palam quidam rapiunt, cupiuntque videri  
 Omnibus intrepidî, ac furto lætantur in ipso  
 Deprensi : seu cum dictis, nihil ordine verso,  
 Longè alios iisdem sensus mirâ arte dedere,  
 Exueruntque animos verborum impunè priores :  
 Scu cum certandi priscis succensa libido,  
 Et possessa diu, sed enim malè condita, vicitis

Extor-

178. M. HIERONYMI VIDÆ

Extorquere manu juvat, in meliusque referre:  
Ceu fata mutatoque solo felicius olim  
Cernimus ad cœlum translatas surgere plantas.  
Poma quoque utilius succos oblita priores  
Proveniunt: sic regna Afîæ, Trojæque penates,  
Transtulit auspiciis Phrygius melioribus heros  
In Latium, quamvis (nam Divum fata vocabant)  
Invitus, Phœnissâ, tuo de littore cessit,  
Nec connubia læta, nec incepti Hymenæi  
Flexerunt immitem animum: tu victa dolore  
Occidis, & curæ vix ipsâ in morte relinquunt.  
Nunquam ô Dardaniæ tetigissent vestra carinæ  
Littora, fors nulli poteras succumbere culpæ:  
Ergo agite ô mecum securi accingite furtis  
Unâ omnes, pueri, passimque avertite prædam.  
Infelix autem (quidam nam sæpe reperti)  
Viribus ipse suis temerè qui fisis & arti,  
Externæ quasi opis nihil indigus, abnegat audax  
Fida sequi veterum vestigia, dum sibi prædâ  
Temperat heu! nimium, atque alienis parcere crevit,  
Vana supersticio! Phœbi sine numine cura.  
Haud longum tales ideo lætantur, & ipsi  
Sæpe suis superant monumentis, illaudatique  
Extremum ante diem fœtus flevere caducos,  
Viventisque suæ viderunt funera famæ.  
Quam cuperent vano potius caruisse labore,  
Eque suis alias didicisse parentibus artes!  
Sæpe mihi placet antiquis alludere dictis,  
Atque aliud longè verbis proferre sub iisdem:  
Nec mea tam sapiens per se prodata quisquam  
Furta redarguerit, quæ mox manifesta probabunt  
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis:

Tantum

Tantum absit, poenæ metuens infamis ut ipse  
 Furta velim tegere, atque meas celare rapinas.  
 Non tamen omnia te priscis fas fidere, qui non  
 Omnia sufficient: quærenti pauca labore  
 Attentanda tuo, nondum ulli audita, supersunt.

Nos etiam quædam idcirco nova condere nulla  
 Religio vetat, indictasque effundere voces.  
 Ne vero hæc penitus fuerint ignota, suumque  
 Agnoscant genus, & cognatam ostendere gentem  
 Possint, ac stirpis nitantur origine certæ.  
 Usque adeo patriæ tibi si penuria vocis  
 Obstat, fas Grajugenum felicibus oris  
 Devehere informem massam, quam incude Latinâ  
 Informans patrium jubeas dediscere morem.  
 Sic quondam Ausoniæ succrevit copia linguae:  
 Sic auctum Latium, quo plurima transtulit Argis  
 Usus, & exhaustis Itali potiuntur Athenis.  
 Nonne vides mediis ut multa erepta Mycenis,  
 Graia genus, fulgent nostris immixta, nec ullum  
 Apparet discrimen? eunt insignibus æquis  
 Undique per Latios & civis & advena tractus.  
 Jamdudum nostri cessit sermonis egestas:  
 Rarò uber patriæ tibi rarò opulentia deerit.  
 Ipse suis Cicero thesauris omnia promet,  
 Autoresque alii nati felicibus annis  
 Omnia sufficient, nec solis crede poëtis.

Sæpe etiam vidi veterum inter carmina vatuum  
 Barbarico versus cultu gazaque superbos;  
 Belgicaque immisit trans Alpes effeda Gallus  
 In Latium, & longè Macedum venere sarissæ:  
 Et metuam ne deficiat me larga susplex  
 Verborum, angustique premat sermonis egestas?

Quin

Quin & victa situ, si me penuria adaxit,  
 Verba licet renovare, licet tua, sancta vetustas,  
 Vatibus indugredi sacraria: saepius olli  
 Ætais gaudent insignibus antiqua*i*,  
 Et veterum ornatus induiti incedere avorum.  
 Non tamen ille vetus squalor suat undique & ater  
 Verborum situs: his modus adfit denique, quando  
 Copia non defit quorum nunc pervius usus.

Tum quoque si deerunt rebus sua nomina certa,  
 Fas illas aptâ verborum ambire coronâ,  
 Et latè circumfusis comprehendere dictis.

Verba etiam tum bina juvat conjungere in unum.  
 Molliter inter se viaclo sociata jugali.  
 Verum plura nefas vulgo congesta coire,  
 Ipsaque quadrifidis subniti carmina membris:  
 Itala nec passim fert monstra tricorpora tellus.  
 Horresco diros sonitus, ac levia fundo  
 Invitus perterrificras per carmina voces.  
 Argolici, quos ista decot concessa libido,  
 Talia connubia, & tales celebrent Hymenæos:  
 Tergeminas immane struant ad sidera moles,  
 Pelion addentes Ossa, & Pelio Olympum.

At verbis etiam partes ingentia in ambas  
 Verba interpositis proscindere, seque parare,  
 Deterere interdum licet, atque abstraxe secando  
 Exiguam partem, & strinxisse fluentia membra  
 Idcirco siquando ducum referenda virûmque  
 Nomina dura nimis dictu, atque asperrima cultu,  
 Illa aliqui, nunc addentes, nunc inde putantes  
 Pauca minutatim, levant, ac mollia reddunt,  
 Sichæumque vocant mutatâ parte Sicharbam.  
 Hinc mihi Titanum pugnas & sæva gigantum

Bella

Bella magis libeat canere, Enceladique tumultus,  
 Quam populos Italà quondam virtute subactos,  
 Atque triumphatas diverso à littore gentes.

Sed neque, verborum causâ, vis ulla canentem,  
 Consilium præter, cogat res addere inanes,  
 Nomina sed rebus semper servire jubeto,  
 Omnia perpendens versūs resonantia membra.  
 Verba etenim quædam ignarum te fallere possunt,  
 Ni vigiles, mandatum & munus obire recusent,  
 Furenturque operi clam fœsi, & inertia cessent,  
 Cætera dum labor exereat concordia jussus,  
 Quæque suus: tantum illa dabunt numerumque sonumque.  
 Atque ideo quid ferre queant, quid quæque recusent  
 Explorare prius labor esto, & munera justa  
 Mandato, ac proprium cunctis partire laborem.  
 Obscuros aliter crepitus & murmurata vana  
 Miscebis, ludesque sonis fallacibus aures.  
 Nec tamen interdum vacuas animoque carentes  
 Addubitem ipse volens incassum fundere voces,  
 Verbaque quæ nullo fungantur munere sensus:  
 Dives ut egregio tantum & conspectus amictu  
 Versus eat, dulcique sono demulceat aures.  
 Atque adeò quæ sint ne verò quære: profectò  
 Illa tibi se sponte dabunt per se obvia passim.  
 Sæpe autem ruptis vinclis exempta volutes  
 Membra, & compactum quæfitor disjice versum,  
 Post iterum refice, & partes in pristina redde  
 Partibus avulsas: nunquam te libera vinclis  
 Incautum fallent, resoluto carmine, verba.

Huc ades, hic penitus tibi totum Helicona recludam:  
 Te Musæ, puer, hic faciles penetralibus imis  
 Admittunt, sacrisque adytis invitat Apollo.

Principio

Principio quoniam magni commercia cœli  
 Numa concessere homini, cui carmina curæ,  
 Ipse Deum genitor divinam noluit artem  
 Omnibus expositam vulgo immeritisque patere:  
 Atque ideo, turbam quò longè arceret inertem,  
 Angustam esse viam voluit, paucisque licere;  
 Multa adeò incumbunt doctis vigilanda poëtis.  
 Haud satis est illis utcunque claudere versum,  
 Et res verborum propriâ vi reddere claras:  
 Omnia sed numeris vocum concordibus aptant,  
 Atque sono quæcunque canunt imitantur, & aptâ  
 Verborum facie, & quæsito carminis ore.  
 Nam diversa opus est veluti dare versibus ora,  
 Diversisque habitus, ne qualis primus, & alter,  
 Talis & inde alter, vultuque incedat eodem.  
 Hic melior motuque pedum, & pernicibus alis,  
 Molle viam tacito lapsu per levia radit:  
 Ille autem membris ac mole ignavius ingens  
 Incedit tardo molimine subsidendo.  
 Ecce aliquis subit egregio pulcherrimus ore,  
 Cui lætum membris Venus omnibus afflat honorem.  
 Contra alias rudis informes ostendit & artus,  
 Hirsumque supercilium, ac caudam sinuosam,  
 Ingratus visu, sonitu illætabilis ipso.  
 Nec verò hæ sine lege datæ, sine mente figuræ,  
 Sed facies sua pro meritis, habitusque sonusque  
 Cunctis, cuique suus, vocum discriminé certo.  
 Ergo ubi jam nautæ spumas salis ære ruentes  
 Incubuere mari, videoas spumare reductis  
 Convulsum remis rostrisque stridentibus æquor.  
 Tunc longè sale saxa sonant, tunc & freta ventis  
 Incipiunt agitata tumescere: littore fluctus

Illiidunt

Illidunt rauco, atque refracta remurmurat unda  
 Ad scopulos; cumulo insequitur præruptus aquæ mons.  
 Nec mora, Trinacriam cernas procul intremere omnem  
 Funditus, & montes concurrere montibus altos.  
 Cum verò ex alto speculatus cærula Nereus  
 Lenuit in morem stagni placidæque paludis,  
 Labitur uncæta vadis abies, natat uncæta carina.  
 Hinc etiam solers mirabere sæpe legendo,  
 Sicubi Vulcanus sylvis incendia misit,  
 Aut agro, stipulas flammâ crepitante cremari.  
 Nec minus exultant latices, cum tæda sonore  
 Virgea suggeritur costis undantis aheni.  
 Carmine nec levi dicenda est scabra crepidō.  
 Tum, si læta canunt, hilari quoque carmina vultu  
 Incedunt, lætumque sonant haud segnia verba:  
 Seu cum vere novo rident prata humida; seu cum  
 Panditur interea domus omnipotentis Olympi.  
 Contra autem se se tristes inamabile carmen  
 Induit in vultus, si fortè invisa volucris  
 Nocte sedens ferum canit importuna per unbras,  
 Ut quondam in bustis, aut culminibus desertis.  
 Verba etiam res exiguae angusta sequuntur,  
 Ingentesque juvant ingentia: cuncta gigantem  
 Vasta decent, vultus immanes, pectora lata,  
 Et magni membrorum artus, magna ossa, lacertique.  
 Atque adeò, siquid geritur molimine magno,  
 Adde moram, & pariter tecum quoque verba laborent  
 Segnia: seu quando vi multâ gleba coactis  
 Æternum frangenda bidentibus, æquora seu cum  
 Cornua velatarum obvertimus antennarum.  
 At mora si fuerit damno, properare jubebo.  
 Si se fortè cavâ extulerit mala vipera terrâ,

N

Tolle

Tolle moras, cape faxa manu, cape robora, pastor;  
 Ferte citi flamas, date tela, repellite pestem.  
 Ipse etiam versus ruat, in præcepisque feratur,  
 Immenso cum præcipitans ruit Oceano nox,  
 Aut cum percusus graviter procumbit humi bos.  
 Cumque etiam requies rebus datur, ipsa quoque ultro  
 Carmina paulisper cursu cessare videbis,  
 In medio interrupta: quierunt cum freta ponti,  
 Postquam auræ posuere, quiescere protinus ipsum.  
 Cernere erit, mediisque inceptis sistere versum.  
 Quid dicam, senior cum telum imbelle sine ictu  
 Invalidus jacit, & defectis viribus æger?  
 Nam quoque tum versus segni pariter pede languet:  
 Sanguis hebet, frigent effœtæ in corpore vires.  
 Fortem autem juvenem deceat prorumpere in arcæ,  
 Evertisse domos, præfractaque quadrupedantum  
 Pectora pectoribus perrumpere, sternere turres  
 Ingentes, totoque feruni dare funera campo.  
 Nulla adeo vatam major prudentia, quam se  
 Aut premere, aut rerum pro majestate canendo  
 Tollere: nunc illos animum summittere cernas.  
 Verborum parcus, humilique obrepere gressu,  
 Textaque vix gracili deducere carmina filo.  
 Nunc illos, verbis opulentos, divite venâ  
 Cernere erit fluere, ac laxis decurrere habenis.  
 Fluxosque ingentesque: redundat copia læta.  
 Ubere felici, verborumque ingruit agmen,  
 Hybernarum instar nivium, cum Juppiter Alpes  
 Frigidus aëreas atque alta cacumina vestit.  
 Interdum verò cohibent undantia lora,  
 Non humiles, non sublimes, media inter utrumque

Littus

Littus arant veluti spatia, & confinia radunt:  
Sic demum portu læti conduntur in alto.

Quod supereft, quæ postremò peragenda poëtæ,  
Expediam. Postquam casus evaserit omnes,  
Signaque pérpetuum deduxit ad ultima carmen  
Exultans animo victor, lætusque laborum;  
Non totam subitò præceps secura per urbem  
Carmina vulgabit: ah! ne sit gloria tanti,  
Et dulcis famæ quondam malesuada cupido:  
At patiens operum semper, metuensque pericli  
Expectet, donec sedatâ mente calorem  
Paulatim exuerit, fœtûsque abolerit amorem  
Ipse sui, curamque aliò traduxerit omnem.  
Interea fidos adit haud securus amicos,  
Utque velint inimicum animum frontisque severæ  
Dura supercilia induere, & non parcere culpæ,  
Hos iterum atque iterum rogat; admonitusque latentis  
Grates lætus agit vitii, & peccata fatetur  
Sponte suâ, quamvis etiam damnetur iniquo  
Judicio, & falsum queat ore refellere crimen.  
Tum demum reddit, & post longa oblivia per se  
Incipit hic illic veterem explorare laborem.  
Ecce! autem ante oculos nova se fert undique imago,  
Longè alia heu! facies rerum, mutataque ab illis  
Carmina, quæ tantum antè, recens confecta, placebant.  
Miratur tacitus, nec se cognoscit in illis  
Immemor, atque operum piget, ac se se increpat ultrò.  
Tum retractat opus, commissâ piacula doctæ  
Palladis arte luens: nunc hæc, nunc rejicit illa,  
Omnia tuta timens, melioraque sufficit illis,  
Attendetque comas stringens, sylvamque fluentem,  
Luxuriemque minutatim depascit inanem,

## 186 M. H I E R O N Y M I V I D A E

Exercens durum imperium: dum funditus omnem,  
Nocturnis instans operis, operisque diurnis,  
Versibus eluerit labem, & commissa piarit.  
Arduus hic labor: hic autem durate, poëtæ,  
Gloria quos movet æternæ pulcherrima famæ.  
Tum siqua est etiam pars imperfecta relicta,  
Olim dum properat furor, ingeniique morari  
Tempestas renuit, suppletque & versibus affert  
Invalidis miseratus opem, claudisque medetur.  
Nec semel attrectare satis, verùm omne quotannis  
Terque quaterque opus evolvendum, verbaque versis  
Æternūm immutanda coloribus: omne frequenti  
Sæpe revisendum studio per singula carmen.  
Quod non una dies, fors afferet altera, & ultro,  
Nullo olim studio, nullâ olim in carmine curâ,  
Deprensæ per se prodentur tempore culpæ,  
Quæque latent variæ densa inter nubila pestes.  
Quinetiam doctum multūm juvet ille laboreni,  
Qui varias cœli creber mutaverit oras.  
Namque etiam mutant animi, genioque locorum  
Diversas species, diversos pectora motus  
Concipiunt, nostrisque novæ se mentibus offert  
Ulro aliquid semper lucis, tenebræque recedunt,  
Atque novos operi semper fas addere flores.  
Verùm esto hic etiam modus: huic imponere curæ  
Nescivere aliqui finem, medicasque secundis  
Morbis abstinuisse manus, & parcere tandem  
Immites, donec macie confectus & æger  
Aruit exhausto velut omni sanguine, fœtus,  
Nativumque decus posuit, dum plurima ubique  
Deformat sectos artus inhonesta cicatrix.  
Tuque ideo vitæ usque memor brevioris, ubi annos

Post aliquot (neque enim numerum, neque tempora pono  
 Certa tibi) addideris decoris satis atque nitoris,  
 Rumpe moras, opus ingentem dimitte per orbem,  
 Perque manus perque ora virum permitte vagari.  
 Continuo læto te dulces undique amici  
 Gratantes plausu excipient: tua gloria cœlo  
 Succedet, nomenque tuum sinus ultimus orbis  
 Audiet, ac nullo diffusum abolebitur ævo.  
 Et dubitamus opes animo contemnere avari,  
 Nec potius sequimur dulces ante omnia Musas?

O fortunati! quibus olim hæc numina dextra  
 Annuerint præcepta sequi, quæve ipse canendo  
 Jussa dedi plenus Phœbo, attonitusque furore;  
 Quando non artes satis ullæ, hominumque labores,  
 Et mea dicta parum prosint, ni desuper adsit  
 Auxilium, ac præsens favor omnipotentis Olympi.  
 Ipse viam tantum potui docuisse repartam  
 Aonas ad montes, longeque ostendere Musas,  
 Plaudentes celsæ choreas in vertice rupis,  
 Quò me haud ire sinunt unquam fata invida, & usque  
 Absterrentque, arcentque procul, nec summa jugi unquam  
 Fas prensare manu fastigia: sat mihi, siquem,  
 Siquem olim longè aspiciam mea fida sequutum  
 Indicia exuperasse viam, summoque receptum  
 Vertice, & hærentes socios juga ad alta vocantem.  
 Sed nonnulla tamen nostri quoque gratia facti  
 Forsan erit: me fida olim præcepta canentem  
 Stipabunt juvenes denso circum agmine fusi,  
 Et vocem excipient intenti sensibus omnes.  
 Tum, vitæ si justa meæ procedere lustra  
 Fata sinent, nec me viridi succiderit ævo  
 Impia mors, olli gelidâ tardante senectâ.

Languentem, & serâ defessum ætate magistrum  
 Certatim prensâ super alta cacumina dextrâ  
 Sæpe trahent, ultroque ferent per amœna locorum ;  
 Et summi invalidum sistent ad limina Phœbi,  
 Cantantem Musas, vatumque inventa piorum.  
 Virgilii ante omnes læti hic super astra feremus  
 Carminibus patriis laudes ; decus unde Latinum,  
 Unde mihi vires, animus mihi ducitur unde :  
 Primus ut Aoniis Musas deduxerit oris,  
 Argolicum resonans Romana per oppida carmen :  
 Ut juvenis Siculas sylvis inflarit avenas :  
 Utque idem, Ausonios animi miseratus agrestes,  
 Extulerit facros ruris super æthera honores,  
 Triptolemi invectus volucri per fidera curru :  
 Res demum ingressus Romanæ laudis, ad arma  
 Excierit Latium omne, Phrygumque instruxerit alas,  
 Verba Deo similis : decus à te principe nostrum  
 Omne, pater ! tibi Grajugenū de gente trophyæ  
 Suspendunt Itali vates, tua signa sequuti.  
 Omnis in Elysiis unum te Græcia campis  
 Miraturque, auditque ultrò, assurgitque canenti.  
 Te sine, nil nobis pulchrum : omnes ora Latini  
 In te, oculosque ferunt versi : tua maxima virtus  
 Omnibus auxilio est : tua libant carmina passim  
 Affidui, primis & te venerantur ab annis.  
 Ne tibi quis vatum certaverit : omnia cedant  
 Secla, nec invideant primos tibi laudis honores.  
 Fortunate operum ! tua præstans gloria famæ,  
 Quò quenquam aspirare nefas, fese extulit alis.  
 Nil adeò mortale sonas : tibi captus amore  
 Ipse suos animos, sua munera lætus Apollo  
 Addidit, ac multâ præstantem insigniit arte.

Quodcumque hoc opis, atque artis, nostrique reperti,  
 Uni grata tibi debet præclara juventus,  
 Quam docui, & rupis sacræ super ardua duxi,  
 Dum tua fida lego vestigia, te sequor unum,  
 O decus Italiæ ! lux ô clarissima vatum !  
 Te colimus, tibi ferta damus, tibi thura, tibi aras,  
 Et tibi ritè sacrum semper dicemus honorem  
 Carminibus memores : salve sanctissime vates !  
 Laudibus augeri tua gloria nil potis ultra,  
 Et nostræ nil vocis eget: nos aspice præsens,  
 Pectoribusque tuos castis infunde calores  
 Adveniens, pater ! atque animis te te insere nostris.

## MARCI HIERONYMI VIDÆ

## SCACCHIA, LUDUS.

**L**udimus effigiem belli, simulataque veris  
 Prælia, buxo acies fietas, & ludicra regna:  
 Ut gemini inter se reges, albusque nigerque,  
 Pro laude oppositi, certent bicoloribus armis.  
 Dicite, Seriades Nymphæ, certamina tanta,  
 Carminibus prorsus vatum illibata priorum.  
 Nulla via est, tamen ire juvat quod me rapit ardor,  
 Inviaque audaci propero tentare juvenâ.  
 Vos per inaccessas rupes & inhospita euntem  
 Saxa, Deæ, regite, ac secretum ostendite callem.  
 Vos hujus ludi in primis meminisse necesse est:  
 Vos primæ studia hæc Italî monstraftis in oris,  
 Scacchidis egregiæ monumentum insigne fororis.

Juppiter Æthiopum sedes & Memnonis arva  
 Iverat, Oceani mensas dignatus amici,  
 Qui sibi tum optatis junxit Tellurem Hymenæis.  
 Affuit unâ omnis Superum chorus: omnia festo  
 Æquoris immensi resonabant littora plausu.  
 Ut dapibus compressa fames, mensæque remotæ,  
 Quo Superum mentes ludo mulceret inani,  
 Oceanus tabulam afferri jubet interpiëtam.  
 Sexaginta insunt & quatuor ordine sedes;  
 Octono, parte ex omni, via limite quadrat  
 Ordinibus paribus; necnon forma omnibus una  
 Sedibus, æquale & spatium, sed non color unus:  
 Alternant semper variæ, subeuntque vicissim

Albentes

Albentes nigris; testudo picta supernè  
 Qualia devexo gestat discrimina tergo.  
 Tum Superis tacitè secum mirantibus inquit:  
 Marti aptam sedem ludicraque castra videtis.  
 Hoc campo adversas acies spectare licebit  
 Oppositis signis belli simulacra ciere,  
 Quæ quondam sub aquis gaudent spectacula tueri  
 Nereides, vastique omnis gens accolla ponti,  
 Siquando placidum mare, & humida regna quierunt.  
 En! verò simulata adsunt qui prœlia ludant.

Sic ait, & versâ in tabulam deprompsit ab urnâ  
 Arte laboratam buxum, simulataque nostris  
 Corpora, torno acies fictas, albasque, nigrasque,  
 Agmina bina pari numeroque, & viribus æquis,  
 Bis niveâ cum veste octo, totidemque nigranti.  
 Ut variæ facies, pariter sunt & sua cuique  
 Nomina, diversum munus, non æqua potestas.  
 Illic & reges paribus capita alta coronis,  
 Et regum pariter nuptas in bella paratas  
 Cernere erat: sunt qui pedibus certamina inire  
 Sueti: sunt & equis qui malint, quique sagittis:  
 Nec deest, quæ feret armatas in prælia turres,  
 Bellua: utrinque Indos credas spectare elephantes.  
 Jamque aciem in versum statuunt, structæque cohortes  
 Procedunt campo, castrisque locantur utrisque.  
 Linea principio sublimes ultima reges  
 Parte utrâque capit quartis in sedibus ambos  
 Tractu eodem adversos inter se; sex tamen æquis  
 In medio sedes spatiis hinc inde relictæ:  
 Sede albus sese nigrâ tenet, ater in albâ.  
 Proxima reginas capit orbita: regibus ambæ  
 Hærent, quæque suo; dextrum latus altera, laevum  
 Altera

Altera lege datis tangunt stationibus, atrumque  
 Atra tenet campum, spatio stat candida in albo,  
 Et proprium servant primâ statione colorem.  
 Inde sagittiferi juvenes de gente nigranti  
 Stant gemini, totidem pariter candore nivali,  
 Nomen Areiphilos Graii fecere vocantes,  
 Quod Marti ante alias chari fera bella lacestant.  
 Continuò hos inter rex, necnon regia conjux  
 Clauduntur medii: duo dehinc utrinque corusci  
 Auratis equites sagulis, cristicisque decori  
 Cornipedes in aperta parant certamina Martis.  
 Tum geminæ, velut extremis in cornibus, arces  
 Hinc atque hinc altis stant propugnacula muris,  
 Quas dorso immanes gestant in bella elephanti.  
 Postremò subeunt octo hinc atque inde secundis  
 Ordinibus pedites, castrisque armantur utrisque  
 Armigeri partim regis, partimque ministrae  
 Virginis armisonæ, quæ prima pericula belli  
 Congressusque ineant primos, pugnamque lacestant.  
 Non aliter campis legio se buxeæ utrinque  
 Composuit dupli digestis ordine turmis,  
 Adversisque ambæ fulsere coloribus alæ,  
 Quam Gallorum acies, Alpino frigore lactea  
 Corpora, si tendant albis in prælia signis  
 Auroræ populos contra, & Phaëthonē perustos  
 Infano Æthiopas, & nigri Memnonis alas.  
 Tum pater Oceanus rursus sic ore locutus;  
 Cœlicolæ, jam quænam acies, quæ castra, videtis:  
 Discite nunc (neque enim sunt hæc sine legibus arma)  
 Certandi leges, nequeant quas tendere contra.  
 Principio alterni reges in prælia mittunt  
 Quem pugnæ numero ex omni elegere suorum.

Si

Si niger arma ferens primus processit in æquor,  
 Continuò adversum semper se candidus offert;  
 Nec plures licet ire simul, facto agmine, in hostem.  
 Propositum cunctis unum, studium omnibus unum,  
 Obsessos reges inimicæ claudere gentis,  
 Ne quo impunè queant fugere, atque instantia fata  
 Evitare: etenim capiunt ita prælia finem.  
 Haud tamen interea cuneis obstantibus ultro  
 Parcunt, sed citius quo regem sternere letho  
 Desertum evaleant, cædunt ferro obvia passim  
 Agmina: rarescunt hic illic funere semper  
 Utraque castra novo, magis ac magis area belli  
 Picturata patet; sternuntque caduntque vicissim.  
 Sed cædente opus est sublati protinus hostis  
 Successisse loco, & conatus vindicis alæ  
 Sustinuisse semel: mox, si vitaverit iustum,  
 Inde referre licet se in tutum præpete plantâ.  
 At pedites prohibent leges certaminis unos,  
 Cum semel exierint, (facilis jaætura) reverti.  
 Nec verò incessus cunctis bellantibus idem,  
 Pugnandive modus: pedites in prælia eunt  
 Evaleant unam tantùm transmittere sedem,  
 Inque hostem tendunt adversi, & limite recto.  
 Congressu tamen in primo fas longius ire,  
 Et duplicare gradus concessum; at cominus hostem  
 Cum feriunt, iustum obliquant, & vulnera furtim  
 Intentant semper lateri, cavaque ilia cædunt.  
 Sed gemini claudunt aciem qui hinc inde elephanti,  
 Cum turres in bella gerunt, ac prælia miscent,  
 Rectâ fronte valent, dextrâ, lævâque, retroque  
 Ferre aditum contra, campumque impunè per omnem  
 Proruere, ac totis passim dare funera castris.

Ne

Ne tamen obliquis occultent nixibus iustum;  
 Qui tantum mos concessus pugnantibus arcu,  
 Dilectis Marti ante alios: nam semper uterque  
 Fertur in obliquum, spatiis nigrantibus alter,  
 Alter carenti semper se limite versat,  
 Directisque ineunt ambo fera bella sagittis.  
 Nec variare licet, quamvis fas ire per omnem  
 Hinc atque hinc campum, atque omnes percurrere sedes,  
 Insultat sonipes ferus, atque repugnat habenis:  
 Nunquam continuo stipata per agmina ductu  
 Procurrit: tantum sursum fese arduus effert  
 Semper, & in gyrum gressus magno impete lunat  
 Curvatos, duplaremque datur transmittere sedem.  
 Si nigrante prius campo expectaverit, album  
 Mox petere, & sedis semper mutare colorem  
 Lex jubet, ac certo semper se sistere saltu.  
 At regina, furens animis, pars optima belli,  
 In frontem, in terga, ac dextram, laevamque movetur,  
 Itque per obliquum, sed semper tramite recto  
 Procedit; neque enim curvato insurgere saltu  
 Cornipedum de more licet: non terminus olli,  
 Nec cursus meta ulla datur: quocunque libido  
 Impulerit, licet ire, modo ne ex agmine quisquam  
 Hostilive, suove aditus occludat eunti.  
 Nulli etenim super educito fas agmina saltu  
 Transfiliisse: equiti tantum haec concessa potestas.  
 Cautius arma movent gentis regnator uterque,  
 In quibus est omnis spes ac fiducia belli.  
 Omnibus, incolumi rege, stat cernere ferro:  
 Sublato, pugna excedunt, & castra relinquunt:  
 Ille adeò in bello captus secum omnia vertit.  
 Ergo haerens cunctatur, eum venerantur & omnes

Agmina

Agmine circumstant denso, mediumque tuentur :  
 Utque armis s̄æpe eripiant, sua corpora bello  
 Objiciunt, mortemque optant pro rege pacisci.  
 Non illi studium feriendi, aut arma ciendi :  
 Se tegere est satis, atque instantia fata cavere.  
 Haud tamen obtulerit se quisquam impunè propinquum  
 Obvius ; ex omni nam summum parte nocendi  
 Jus habet : ille quidem haud procurrere longius ausit,  
 Sed postquam auspiciis primis progressus ab aulâ  
 Mutavit sedes proprias, non amplius uno.  
 Ulterius fas ire gradu, seu vulneret hostem,  
 Seu vint tela ferant nullam, atque innoxius erret.  
 Hic mos certandi, hæc belli antiquissima jura.  
 Nunc aciem inter se certantes cernite utramque.

Sic ait : at (quoniam, quoties fera bella fatigant  
 Mortales, Superi studiis diversa foventes  
 Ipsi etiam inter se odiis bellantur inquis,  
 Maximaque interdum toto ardent prælia cœlo)  
 Juppiter omnipotens folio rex fatus ab alto  
 Omnes abstinuisse jubet mortalibus armis,  
 Atque minis, ne quam foveant, perterret acerbis.  
 Tum Phœbum vocat intonsum, Atlantisque nepotem,  
 Egregium furto peperit quem candida Maia,  
 Insignes ambos facie, & florentibus annis.  
 Nondum Mercurius levibus talaria plantis.  
 Addiderat : nondum Titania lumina agebat  
 Per liquidum, curru gemmato, Phœbus Olympum,  
 Tantum humeros pharetrâ insignis, & crinibus aureis.  
 Hos pater adversis solos decernere jussit  
 Inter se studiis, & ludicra bella fovere,  
 Ac partes tutari ambas, quas vellet uterque :  
 Necnon proposuit victori præmia digna.

Dii

Dii magni sedere: Deûm stat turba minorum  
 Circumfusa: cavent sed lege, & sœdere pacto,  
 Ne quisquam, voce aut nutu, ludentibus ausit  
 Prævisos monstrare ictus. Quem denique primum  
 Sors inferre aciem vocet, atque invadere Martem,  
 Quæsitum: primumque locum certaminis albo  
 Ductori tulit, ut quem vellet primus in hostem  
 Mitteret: id sanè magni referre putabat.  
 Tum tacitus secum versat, quem ducere contra  
 Conveniat; peditemque jubet procedere campum  
 In medium, qui reginam dirimebat ab hoste.  
 Ille gradus duplices superat: cui tum arbiter ater  
 Ipse etiam adversum recto de gente nigranti  
 Tramite agit peditem, atque jubet subsistere contra  
 Advenientem hostem, paribusque occurrere in armis.  
 Stant ergo adversis inter se frontibus ambo  
 In mediis campi spatiis, ac mutua tentant  
 Vulnera; nequicquam: neque enim vis ulla nocendi est  
 Aranigeris, tractu dum miscent prælia eodem.  
 Subsidio socii dextrâ lævâque frequentes  
 Hinc atque hinc subeunt, latè & loca milite complent,  
 Alternantque vices: necdum tamen horrida miscent  
 Prælia, sed placidus mediis Mars ludit in armis:  
 Excursusque breves tentant, tutique tenent se.  
 Jamque pedes nigri rectoris, qui prior hostem  
 Contra iit, obliquum lævâ clam strinxerat ensim,  
 Atque album è mediis peditem citus abstulit armis,  
 Illiusque locum arripuit præstantibus ausis:  
 Ah miser instantem lateri non viderat hostem!  
 Ipse etiam cadit, & pugnas in morte relinquit.  
 Tum cautus fuscæ regnator gentis ab aulâ  
 Subduxit sese mediâ, penitusque repostis

Castrorum

Castrorum latebris extremâ in fauce recondit,  
 Et peditum cuneis stipantibus abditus hæsit.  
 Nec mora, surgit eques bellator lævus utrinque,  
 Et mediis hinc inde insultant cœtibus ambo,  
 Alternique ruunt, & spargunt fata per hostes.  
 Sternuntur pedites passim, miseranda juventus,  
 Quod nequeant revocare gradum: sonat ungula campo  
 In medio, & totis miscentur funera castris.  
 Dum verò peditum intentus Latonius heros  
 Cædibus instat atrox, equitemque per agmina versat  
 Vastatorem alæ piceæ, longè Arcada major  
 Ardor agit tacitis jamdudum invadere furtis  
 Magnum aliquid; peditumque ultro sœpe obvia transit  
 Agmina, cornipedem ducens in prælia lævum,  
 Qui regi insidias tendens huc vertitur, atque huc,  
 Per mediosque hostes impunè infrænis oberrat.  
 Constitit, optatâque diu statione potitus  
 Lethum intentabat pariter regique, elephantique,  
 Alæ qui dextro cornu turritus in auras  
 Attollens caput, ingenti se mole tenebat.  
 Delius ingemuit; clauso succurrere regi  
 Admonitus: namque indefensum in morte elephantem  
 Linquere se videt, atque ambos non posse periclo  
 Eripere, & fatis urgeri cernit inquis.  
 Cura prior sed enim est trepidum defendere regem,  
 Quem rapit in dextrum latus: at niger emicat ense  
 Stricto eques, & magnis elephantem intercipit ausis,  
 Damnum ingens: neque enim est, sœvæ post virginis arma,  
 Bellatum numero ex omni magis utilis alter.  
 Non tamen impunè evades, ait acer Apollo;  
 Et peditum cuneis densaque indagine cingit.  
 Ille igitur trepidare metu, certique pericli

Frustra

Frustra velle fugam: nam hinc fata minatur Amazon,  
 Inde obstat conferta phalanx: tandem altius acto  
 Virginis ense cadit, pulchræ solatia mortis.  
 Æstuat alba cohors latere heu! minus utilis uno,  
 Et magis atque magis fuit acri accensa dolore.  
 Sicut ubi dextrum taurus certamine cornu  
 Amisit, dum se adverso fert pectore in hostem,  
 Sævior in pugnam ruit, armos sanguine & altè  
 Colla animosa lavans: gemitu omnis sylva remugit.  
 Talis erat facies, cæsi post fata elephantis,  
 Candentis turmæ: hinc furii majoribus ardet  
 Phœbus, & ultrices hortatur in arma cohortes,  
 In ferrum & cædes pronus, cupidusque nocendi;  
 Incautusque ambas perdit sine lege phalangas.  
 Dumque hostes pariter cernat procumbere victos,  
 Ipse suos morti indefensos objicit ultro.  
 Mercurius, melior furto, cunctatur, & hærens  
 Usque alium ex alio spectando prævidet iustum.  
 Sæpe ille, ex longo meditatus fata superbæ  
 Reginæ, peditem perdendum cominus offert,  
 Dissimulatque dolos, mox pœnitet, & trahit alto  
 Improbis, errorem fingens, suspiria corde.  
 Atque sagittiferi è dextro jam spicula cornu  
 Virginis in latus albentis tendebat: id hostis  
 Haud prium sensit, peditemque trahebat in atram  
 Læva aciem, rerum ignarus: verùm improba cladem  
 Et tantas Erycina Venus miserata ruinas,  
 Incauto juveni surtim tacito innuit ore  
 Atque oculis: (Phœbo nam fortè adversa sedebat.)  
 Nulla mora, ad nutus Divæ tremefactus Apollo  
 Constitit, atque oculis latè agmina circumspexit,  
 Et subitò insidias sensit, peditemque retraxit,

Quem

Quem contr  
 Reginam eri  
 Littoreum c  
 Reginam ca  
 Celicolūm  
 Phœbus, &  
 Quæ por  
 Præmia corr  
 Cum nec pa  
 Id sedet om  
 Quicke prio  
 Sive albus,  
 Ille eat, &  
 Dicit, &  
 Coelicolis:  
 Juppiter ir  
 Sed puer in  
 Ingenti: v  
 Injectisque  
 Tum secur  
 Omnibus,  
 Jam tum iq  
 Cornipedis  
 Emicat, at  
 Non Phœl  
 Verlus ad  
 Mercurio i  
 Callide At  
 Fallere eri  
 Spectantur  
 Atque Ar  
 Summisit

Quem contra impulerat dextrâ impiger, atque periclo  
 Reginam eripuit: tum Maiâ Atlantide cretus  
 Littoreum caveæ confessum vocibus implet,  
 Reginam captam ingeminans: fremit undique turba  
 Cœlicolûm studiis variis, feseque tuetur  
 Phœbus, & his alto fatur de littore verbis.

Quæ porro invidia est dextram ludicra petenti  
 Præmia corrigere incautam, in meliusque referre,  
 Cum nec paœta vetent? Quod si, Maiâ fate, posthac  
 Id sedet omnino prohiberi, lege caveto:  
 Quique prior fuerit digitis impulsus in hostem,  
 Sive albus, piceusve fuat, discrimine nullo  
 Ille eat, & dubii subeat discrimina Martis.

Dixit, & hæc toto placuit sententia circo  
 Cœlicolis: Venerem obtutu clam versus acerbo  
 Juppiter increpuit; nec sensit filius Arcas:  
 Sed puer ingemuit labefactus corda dolore  
 Ingenti: vix se tenuit, quin ludicra castra,  
 Injectisque acies manibus confunderet ambas.  
 Tum secum statuit furtis certare, dolisque  
 Omnibus, ac totis fraudes innectere castris.  
 Jam tum igitur juvenem pharetratum in prælia ducens,  
 Cornipedis simulare gradus jubet: ocyus ille  
 Emicat, atque albæ reginæ fata minatur.  
 Non Phœbum latuere doli: subrisit, & ore  
 Versus ad astantes, Quamvis accommoda furtis  
 Mercurio fit dextra, inquit, fraudique, dolisque,  
 Callide Atlantiada, invigiles, haud me tamen ultra  
 Fallere erit: jamque improbe iniquam corrige dextram.  
 Spectantum cunei ingenti risere theatro,  
 Atque Arcas, veluti deceptus imagine falsa,  
 Summisit buxum concessu in prælia gressu

O

Arcum

Arcum intendentem: vigilat jam cautus Apollo,  
 Fraudesque insidiasque timens, occultaque fulta.  
 Ille etenim persæpe, manu dum ducit in hostes  
 Alternam buxum, jus contra & fœdera pacta  
 Implicitans celeres digitos duo corpora bello  
 Objiciat simul, observet nisi providus hostis.  
 Jamque equitem contra nigrantem candidus arcum  
 Intendens sese opposuit pharetratus, & arcet  
 Reginæ jugulo intentum: tum dexter oberrat  
 Huc atque huc elephas, niveisque exultat in armis.  
 Hæserat in medio, dominæ regique minatus,  
 Albus eques, ratus impunè, & jam sorte superbus  
 Nequicquam spoliorum animum paſcebat amore.  
 Non tulit hanc speciem juvenis pharetratus, & arcu  
 Contendit calatum, seseque immittit in hostem,  
 Fata licet pedes intentet, moriturus in armis  
 Insigni pro laude: alvo mediæ hæſit arundo  
 Stridula, & ima chalybs descendit in ilia adactas.  
 Volvitur ille excussus humique, & calcibus auras  
 Verberat: in ventos vita indignata receffit.  
 Inde fagittiferum sternit pedes: hunc pedes alter  
 Hostili de plebe necat: pugna aspera surgit.  
 Turribus occurruunt ingenti mole elephant:  
 Sæva pharetrigeri contendunt spicula nervis,  
 Quadrupedumque gemit bicolor sub verbere campus.  
 Incaluerat animi parte ex utrâque, & in armis  
 Concurrunt densi simul omnis copia gentis  
 Albæque piceæque, duces, ambæque phalanges,  
 Confusæque acies magno certaniine totis  
 Densantur campis, virtus fortunaque in unum  
 Conveniunt: hi nunc victores agmina versa  
 Æquore agunt toto, versis referuntur habenis

Nunc iidem, variantque vices, & fluctuat omnis  
 Area bellorum: vasti velut æquoris undæ,  
 Si quando inter se, recluso carcere, sœva  
 Bella cinct animosi Euri, vertuntque profundum  
 Ionio in magno, aut undisono Atlanteo,  
 Alternos volvunt procura ad littora fluctus.  
 At medias acies inter crudescit Amazon  
 Candida, plena animis, multisque in millibus ardet.  
 Namque sagittiferum incursans, rediensque elephantem,  
 Nigrantes sternit; dextrâ lœvâque per alas  
 Fulminat, atque manu spargens hastilia sœvit.  
 Bellanti dant tela locum, retroque residunt  
 Hinc atque hinc inimicæ acies: per tela, per hostes  
 Illa ruit pulchram in mortem: simul ultima tentat  
 Castra, fugæ fidens, animisque in bella viriles  
 Sœva gerit: penetrat cuneos, aperitque viam vi.  
 Tandem fusca cohors, nigrantisque arbiter alæ  
 Ipse etiam arma suæ trepidus, viresque animosque  
 Virginis implorat: nulla est mora, servida Amazon  
 Emicat, atque ardens paribus se fistit in armis.  
 Quem primum hastâ, aut quem postremum bellica virgo  
 Demetis, aut quot humi cendentia corpora linquis?  
 Semianimes volvuntur equi niveique, nigrique,  
 Et peditum cunei, dilectaque pectora Marti  
 Aligerâ juvenes ineuntes bella sagittâ.  
 Quis cladem fando illius, quis funera pugnæ,  
 Prostratosque duces speret se æquare canendo?  
 Sternitur omne solum buxo, atque miserrima cædes  
 Exoritur: confusa inter se agmina cædunt,  
 Implicitæque ruunt albæ nigræque phalanges:  
 Sternuntur pedites, & corpora quadrupedantum.  
 Nam versæ inter se jactantes mutua tela

Fœmineis ambæ nituntur Amazones armis:  
 Usque adeò certæ non cedere, donec in auras  
 Aut hæc, aut illa effundat cum sanguine multo  
 Sævam animam, solâ linquentes prælia morte.  
 Interea amborum populorum rector uterque  
 Captivos hostes, & victa cadavera bello  
 Carcere servabant castris vicina, caventes  
 Ne capti semel, aut obitâ jam morte jacentes  
 In vitam revocati, iterum certamina inirent.  
 At lateri innixus Phœbeo Threïcius Mars,  
 Junctus amicitiâ puero Arcadi, siquid amico  
 Fata finant prodeesse, animum per cuncta volutat,  
 Observatque omnes casus: tum corpora bina  
 Capta, pharetratum juvenem, peditemque nigrantem,  
 Cœtibus è functis jam vitâ atque æthere cassis  
 Surripit, & castris rursum clam immittit apertis.  
 Ergo iterum gemini captivi prælia inibant,  
 Miscebantque manus animosi, atque arma ferebant.  
 Haud secus, (ut perhibent) cum Colchis naœta cadaver,  
 Aut virgo Maffylla, recens, cantuque triformem  
 Sæpe ciens Hecaten, ac magni numina Ditis,  
 Falsam animam insinuat membris, aurasque loquaces,  
 Continuò erigitur corpus, loquiturque videtque,  
 Et vivos inter fruitur cœlestibus auris.  
 Non tulit indignum facinus Junonia proles  
 Mulciber, (ille dolum solus deprendit) & ore  
 Inclamat, Phœbumque monet: Thrax palluit heros  
 Deprensus: Phœbo exarsit dolor ossibus ingens.  
 Tum Marti pater omnipotens iratus, iniqua  
 Præstria abduci, atque indebita corpora bello  
 Protinus è castris jubet, atque retexere falsos  
 Hinc atque inde iæctus, & cuncta in pristina reddit.

Jamque

Jamque duces furiis ambo majoribus instant,  
 Reginasque ambas conversa per agmina mittunt:  
 Cæde madent illæ, toto æquore fata ferentes.  
 Considunt tandem obversæ, regesque tuentur,  
 Quæque suum: ecce! autem bellatrix agminis albi  
 A tergo ferro invasit, stravitque nigrantem  
 Ignaram: verùm ipsa etiam cadit icta sagittâ  
 Ah misera! & spoliis haud longum exultat opimis.  
 Convertêre oculos ambæ hinc atque inde cohortes,  
 Atque acies lacrimis & fœmineo ululatu  
 Ambas incubuisse putas, dum funera ducunt.  
 Tum reges mœstos ipsa ad prætoria densi  
 Agglomerant sese circum: timor omnibus idem  
 Incumbit, par tempestas, par hausit utrosque  
 Diluvium populos, & sunt sua vulnera cuique.  
 Haud prorsus tamen ambobus defecerat omne  
 Robur: opes restant, & adhuc intacta juventus,  
 Tres pedites tibi, Phœbe, sagittifer alter, & ingens  
 Bellua turrito dorso; totidemque tibi, Arcas,  
 Excepto elephante, altâ qui nuper in aulâ,  
 Pace fruens, cecidit, positis inglorius armis,  
 Eminus aligerâ percussus arundine pectus.  
 Sed dexter tibi restat eques imperditus: hausit  
 Cætera bellantum Mars impius agmina, bellique  
 Alea, florentes & desolaverat aulas.  
 At Cyllenæo juveni spes occidit omnis.  
 Æstuat amissæ gentis memor, & suspirat  
 Heroas magnos tot fato corpora functa.  
 Non tamen excedit pugnâ: fracta agmina bello,  
 Reliquias tenues immitis Apollinis, astu  
 Cautior in pugnam mittit, post funera tanta  
 Si qua fata finant gentis sarcire ruinas.

It nigrum campis agmen, stat ubique morari,  
 Fortunamque omnem tentare, aditusque nocendi.  
 Exultat contra non æquo prælia motu  
 Cynthius invadens: facies indigna cohortum;  
 Heu! facies miseranda ducum; raro agmine aperta  
 Castra patent latè, viduatæ & civibus aulæ.  
 Mœrebant vacuis thalamis regnator uterque  
 Jamdudum exosi sine conjugæ tædia leæti.  
 Primus amor maneat quamvis immotus utrisque,  
 Sors tamen ad nova conjugia atque novos Hymenæos  
 Flectit iniqua: igitur primum rex agminis albi  
 Reginæ comites olim fidasque ministras  
 Regali invitat thalamo, quæ funera mœstæ  
 Post fera bellatricis heræ, tela irrita bello  
 Jactabant, acies inter cuneosque nigrantes,  
 Oppetere, amissæ dominæ pro cæde, paratæ.  
 Sed prius explorare ausus sedet, atque viriles  
 Cunctorum spectare animos, ut digna cubile  
 Intret: in hostiles sedes atque ultima castra  
 Hortaturque, jubetque supremam apprendere metam.  
 Nulli fas etenim regis sperare cubile,  
 (Pacta vetant) nisi quæ per tela inventa, per hostes,  
 Transactis spatiis cunctis impunè suprema  
 Attigerit prius adversi penetralia regis.  
 Arrexere animos famulæ, pariterque per hostes  
 Limitibus properant rectis: tamen ocyor anteit  
 Tertia quam dextro ducebat semita cornu,  
 Exultatque, agitatque animo connubia regis:  
 Nam comites spe sublapsa cessere volentes.  
 Illa volat cœptis immanibus; addidit alas  
 Gloria præpetibus plantis, & plurima merces.  
 Nulla obstat mora, nec facinus prohibere tyranno

Cura

Cura nigro est, novaque ipse etiam connubia tentat,  
 Et vacuis thalamis alias inducere nuptas.  
 Ergo iter alternæ accelerant, famulamque sinistram  
 Quarto limite agit, saltu sed tardior uno,  
 Parrhasius juvenis : jamque imperterrita virgo  
 Candida, facta potens voti, penetraverat omnes  
 Sedes, atque alacris metâ confederat altâ.  
 Tum rector jubet afferri sellamque, tiaramque,  
 Extinctæ ornatus, nec non fulgentia sceptræ,  
 Dignaturque toro meritam, optatisque Hymenæis.  
 Gaudet cana cohors, insultatque eminus atræ.  
 Haud lacrimas cohibet Maiâ satus, æthera voce  
 Incessens, pictosque à pectore rupit amictus.  
 Nigranti famulæ tantum gradus unus ad ipsam  
 Restabat metam, ah miseræ ! sed limite recto  
 Turritus fera fata elephas impunè minatur  
 Insurgens, si supremam contingere sedem  
 Audeat, & toto castra obsidet ultima tractu,  
 Et pavidam observans extremis fedibus arcet.  
 Interea nova regali dignata virago  
 Connubio exultans, toto dat funera campo.  
 Illam tollit honos novus & fortuna tumentem ;  
 Fulminis in morem ruit, atque nigrantia fœvit  
 Castra per, & sedes, ac sidera territat armis.  
 Horrescunt faciem invisam nigra agmina crudæ  
 Virginis, atque imæ exoptant telluris hiatus.  
 Diffugunt trepidi vasto irrumpente fragore  
 Hoste, metuque omnes acti glomerantur in unum,  
 Aulaï in medio juxta latera ardua regis.  
 Haud secus alta boves sparæ per pascua quondam,  
 Ut sensere lupum venientem, protinus omnes  
 Conveniunt trepidæ, & fortem factò agmine taurum

Ductorem armenti implorant, ipsique propinquant  
 Certatim inter se trudentes cornua rauco  
 Murmure: mugitu longè nemora alta resultant.  
 At regina furens trepidos toto agmine victrix  
 Impingens in terga, ipsique ante omnia regi  
 Fata parans, pugnas alta ad prætoria miscet:  
 Nunc ruit huc, nunc huc; tunc &, nisi læva fuisset  
 Mens illi, poterat carentem invadere sedem  
 Limite in obliquum quarto, & concludere fauces.  
 Ultimus ille labor regi gentique fuisset  
 Nigranti, & fatis Arcas lugeret inquis.  
 Nempe erat hinc lethi facilis via in ilia regis,  
 Nec poterat quisquam se tantæ opponere cladi.  
 Sensit Atlantiades tacitus, dubioque tremebant  
 Corda metu, accelerare hostem jubet improbus, iactum  
 Ne videat, verbisque rapit per inania mentem,  
 Castigatque moras, Adeon' juvat usque morari,  
 Nec pudor est? quæ tanta animis ignavia? sic non  
 Increditas semper cunctantes impiger ipse?  
 Scilicet expectas dum nox certamina tollat?  
 His actus, peditem imprudens dum captat, Apollo  
 Præteriit fortunam: alacer vocem extulit astris  
 Lætitiae exiliens Cyllenius: inde periclo  
 Regem ipsum eripiens, opponit Amazonis armis.  
 Haud invitum equitem, qui sæuos arceat iactus.  
 Tum secum meditans carenti lethum elephanti,  
 Qui metâ arcebat famulam ne regis iniret  
 Concessos thalamos, curvato perculit arcu:  
 Concidit, atque iactu tellurem belluq; vasto  
 Pulsavit moriens, dum regi intentat Apollo.  
 Nequicquam exitium: tum metam impunè ministra  
 Nigra tenet, (nec Phœbus obest) jam regia conjux.

Jamque

Jamque alacres paribus certamine viribus ambo  
 Rursum ineunt, nuptasque ferunt in bella secundas.  
 Tum, quanquam ambiguæ spes sint, incertaque belli  
 Alea adhuc, tamen, ac si palmæ certus, & omne  
 Discrimen positus sit supra, gaudia ficto  
 Ore puer Maiæ simulat, verbisque superbis  
 Improbus, insultans, (astus genus) & sua creber  
 Vocibus extollens, albæ premit arma cohortis.  
 Quem sic deprensâ juvenis Latonius arte  
 Incipitat, Nondum extremam dubia ultima bello  
 Imposuit fortuna manum, & jam voce superbis?  
 Proinde mihi insulta, & tumidis reple omnia verbis,  
 Certa tuum annuerit tibi cum viætoria Martem:  
 Sed jam nulla mora est, tua nunc, nunc irrita faxo  
 Dicta manu. Hæc fatus, reginam hortatur in hostes.  
 Continuo exoritur magnum certamen, & ingens  
 Hinc atque hinc rabies, dum fixum vincere utrisque.  
 Audentes in tela ruunt: stat multus ubique  
 Terror, ubique pavor, mortisque simillima imago.  
 Nituntur cuncti adversi, seque viro vir  
 Obtulit: invigilant castris avertere pestem  
 Quisque suis, hostemque fugant, hostiliaque ipsi  
 Castra petunt, variantque vices, fortunaque ludit  
 Spe cupidos, & corda moræ impatientia torquet.  
 Funera spargebat fuscæ regina cohortis  
 Per medias animosa acies: non æmula contra  
 Opposuit sevirgo, sed calle per hostes  
 Secreto interea regis tendebat ad alta  
 Limina: dein subito captis custodibus arcis  
 Irruit, atque aditus irrumpens obsidet aulam,  
 Intentatque necem regi: tum nigra virago,  
 Postquam altis vidit canam in penetralibus hostem,

Cæde

Cæde madens strages citò linquit, & imperfecta  
 Funera, & acta pedem retro examinata repressit,  
 Nec timuit medium se certæ opponere morti,  
 Et patriæ & trepido properans succurrere regi.  
 Hic aliud majus Phœbo, graviusque dolendum  
 Objicitur: nam cornipedem Cyllenus atrum  
 Huc illuc agitans campo insultabat aperto.  
 Ardet equus, saltuque furit: nec destitit ausis,  
 Donec, reginæ pariter regique minatus,  
 Optatam tenuit sedem, exitioque futurus  
 Aut huic, aut illi, nigrantibus obstitit armis.  
 Ut vidi tristi turbatus pectore Apollo  
 Ingemuit, largusque genis non defuit humor.  
 Et jam jam labi, atque retro sublapsa referri  
 Spes omnis, fluxæ vires, aversa Deum mens.  
 Arcas successu exultans, ac munere Divum  
 Lætus, ovansque, animum vocemque ad sidera tollit,  
 Et tandem rediit vigor in præcordia victo.  
 Protinus inclusam feriens sub Tartara mittit  
 Reginam, & spoliis potitur non segnis opimis:  
 Tantum olli bellator equus cadit, ilia fossus  
 Ultoris ferro regis: nondum tamen exspes  
 Phœbus abit, sed pugnat adhuc, atque agminis albi  
 Reliquæ pedites duo, & arcu insignis eburno  
 Martis amor juvenis, nequicquam bella lacefunt.  
 Audentes facit amissæ spes lapsa salutis,  
 Succursumque duci labenti in funera: sed non  
 Talibus auxiliis, nec defensoribus istis  
 Tempus eget: toto Maiâ fatus æquore sævit.  
 Instat vi multâ nigra virgo, septaque regis  
 Circuit, excidium intentans; hac perfurit, atque hac;  
 Nec requievit enim, donec certamine iniquo

Relli-

Reliquias gentis candardis, & ultima bello  
 Auxilia absumpit: medio rex æquore inermis  
 Constat amissis fociis, velut æthere in alto  
 Expulit ardentes flamas ubi lutea bigis  
 Luciferis Aurora, tuus pulcherrimus ignis  
 Lucet adhuc, Venus, & cœlo mox ultimus exit.  
 Nulla salus illi superat, spes nulla salutis:  
 Non tamen excedit victus, sed claudere sese  
 Hostiles inter cuneos, impune per enses  
 Actus, avet, donec nusquam spatia ulla supersint  
 Effugiis: nam si nemo illi fata minetur,  
 Nec superet sedes, quam impune capessere possit,  
 Nil tantorum operum impensis foret omnibus actum:  
 Sed labor effusus frustra viresque fuissent,  
 Nec titulos quisquam, aut victoris nomen haberet.  
 Ergo per vacuas sedes desertaque castra,  
 Nunc huc, rursum illuc, incertos implicat orbes  
 Diffugiens: niger insequitur rex æquore toto,  
 Atque fugæ semper spatiisque, abitumque relinquit.  
 Post, ubi supremo tendentem limite gressum  
 Vedit, reginam sedes servare secundas  
 Jussit, ab angustis ne se ille abducere posset,  
 Ordinibus, tantumque fugæ misero ultima restat  
 Linea: tum sese contra niger æmulus infert  
 Dux gentis propiore gradu, sedes tamen una  
 Alterum ab alterius contactu summovet usque.  
 Ut verò contra exultantem victus & expes  
 Constat invitus, fortunam naæta virago  
 Extremam insiliit sedem, totoque minatur  
 Limite, nec misero restat locus amplius usquam.  
 Tandem illum surgens virgo crudelis in ensem  
 Immolat,

Immolat, & finem imposuit fors aspera pugnæ,  
Ingenti Superum plausu, & clamore secundo.

Victor Atlantiades exultat littore toto  
Improbis, & victo insultat, ridetque dolentem;  
Quem pater omnipotens ad se vocat, & dat habere  
Felicem virgam, quâ puras evocet umbras  
Pallenti Styge, ut infectum scelus eluit ignis,  
Quâque Erebo damnet fontes, & carcere cæco,  
Detque, adimatque oculis somnos, & funere in ipso  
Lumina Lethæo claudat perfusa sopore.  
Mox vero gratum ludum mortalibus ipse  
Ostendit Deus, & morem certaminis hujus  
Italiæ primum docuit celebrare colos.

Namq; olim, ut perhibent, dilectam Scacchida, quâ non  
Inter Seriadas præstantior altera Nymphas,  
Compressit ripâ errantem, & nil tale putantem,  
Dum pascit niveos herbosa ad flumina olores.  
Tum bicolorem illi buxum dedit, atque pudoris  
Amissi pretium vario ordine picturatam,  
Argentique aurique gravem, tabulam addidit, usumque  
Edocuit: Nymphæque etiam nunc servat honorem,  
Et nomen ludus, celebrat quem maxima Roma  
Extremæque hominum diversa ad littora gentes.  
Omnia quæ puero quondam mihi ferre solebant  
Seriades, patrii canerem dum ad flumina Serii.

AONII PALEARII VERULANI  
DE  
ANIMORUM IMMORTALITATE  
LIBER PRIMUS.

**F**Ellices animæ, cœli omnipotentis alumni,  
Astrorum decus, & qui versicoloribus alis  
Æthera tranatis liquidum, qui sidera, quique  
Volvitis ingentes magnis anfractibus orbes : [rum  
Quandoquidem genus omne hominum, genus omne fera-  
Per vos exoritur, per vos à luminis oris  
Digreditur, magni ad nutum sic omnia Regis  
Quæ geritis, Regis quoniam vos maxima cura :  
Vos mare substratum ventis, turritaque tellus  
Concelebrat : vos arva sonant, quæque invia lustra,  
Quæ dumeta tenent, quæ propter rauca fluenta  
Dulce canunt vobis magnum per inane volucres :  
Vos mortale genus primi docuistis ad astra  
Ire viam ducentem, humili quo se quoque posset  
Tollere humo, & cœli sanctum internoscere Regem.  
Vestrâ ego fretus ope ingredior loca nullius ante  
Trita pede : & quoniam vestra hæc, æquique bonique  
Munera vos facite, & sancto aspirete labori.  
Unde canam, quæ nusquam audita prioribus annis,  
Quî motum rebus genitalem ipse ordine certo  
Dididerit rerum pater, ut creet unus, alatque  
Omnia, quæ mundo generatim secla propagant.  
Mox ego quo tantus cœptus labor, expediam, quæ  
Signa olim veteres, quæ sint exempla secuti,  
Dum partem nobis divinæ mentis inesse,

Haustusque

Hauſtusque ætherios certa ratione probarunt.  
 Nec minus ecquæ animas fedes, quæ præmia vitæ  
 Quemque bonum tandem maneant, quas pendere poenas  
 Conveniat fontes, & fata arcana recludam.  
 Tuque adeò decus egregium rex magne Quiritum,  
 Aurea cui longùm ſefe Capitolia servant,  
 Structa bono auspicio ſe moenia Romanorum,  
 Ferdinandē invicte, tuis Germania ſeu te  
 Detinet imperiis lœta, & tibi maxima regna  
 Annuit, Oceanus quantum pater alluit undis :  
 Seu te Pannoniæ regem admirantur utræque  
 Magnanimum, ingentem : noſtram ne despice Muſam.  
 Quin & ſubveritam, perfuſamque ora rubore  
 Accipe, quo vultu atque animi moderamine fratrem  
 Regnatorem orbis, florentem laudis honore  
 Caſibus in magnis bellī pacisque ſerenas.  
 Principiò ſtellis molem radiantibus aptam,  
 Certam aliquam regere & moderari numine mentem,  
 Quam dixere Deum, nonnulla exempla monebunt.  
 Quas tamen iſ ſibi ſufficiat longo ordine vires,  
 Et quantus qualisque incedat, ubi omnibus ornat  
 Divitiis ſefe ; non qui caligine cœca  
 Offuſi degunt, ſed nec ſupera alta tenentes,  
 Noſſe queunt : ſoli quamvis accedere partes  
 Arcanas auſint, Regisque invifere ſedes.  
 Ille quidem facros aditus, penitusque reponſos  
 Adſervans, ſe ipsum tantum (mirabile dictu)  
 Dum videt, æternos ignes, & moenia cœli  
 Proſpicit, & mare naviſerum, & dura æquora terræ,  
 Et varias rerum formas, & quidquid ubique eſt :  
 Dumque ipsum ſpectat ſe, sancto incenſus amore  
 Ipsi ſui, genus omne hominum, genus omne ferarum,

Ingen-

Ingentemque  
 Nec mora, n  
 Vere jubet du  
 Et quæ nuper  
 Importunæ fe  
 Parturit, & v  
 Ipsi jam dum  
 Dunitie poſita  
 Augent ſefe a  
 Jam nemus  
 Alitumque,  
 Immemores  
 Verum ubi  
 Flavescent  
 Lætitia agr  
 Equatamq  
 Dum nemo  
 Mox vero  
 Infert ſe, ip  
 Malaque, ca  
 Non tamen  
 Et triftis ſub  
 Sparguntur  
 Deſcendunt  
 Et rapido E  
 Hic ordo re  
 Sollicitis ac  
 Unde parer  
 Unde ſolun  
 Submittit v  
 Nempe aiu  
 Suppeditan

Ingentemque ingens arcte complectitur orbem.  
 Nec mora, nudatas hibernæ tempore brumæ  
 Vere jubet dulci intonsas revirescere sylvas :  
 Et quæ nuper erat lætis sine frondibus arbor,  
 Importunæ sedes non insueta volucri,  
 Parturit, & viridi vestit ramalia fronde.  
 Ipsi jam dumi, & spinis rubus asper acutis  
 Duritie posita melior, cytisque genistæque  
 Augent sese anni felicibus ornamentiis.  
 Jam nemus umbrosum; resonant jam cantibus urbes  
 Alitumque, hominumque, feræ per pabula læta  
 Immemores hiemis foetu austæ progrediuntur.  
 Verum ubi sol terras graviori accenderit æstu,  
 Flavescent segetes, filiquisque sonantibus agri  
 Lætitia agrestes augent, parat horrea messor,  
 Æquatamque gravi glebam solidare cylindro,  
 Dum nemori Phœbus crescenteis invidet herbas.  
 Mox vero ubertas autumnus jam senis anni  
 Infert se, ipsa jacent jam strata sub arbore passim  
 Malaque, castaneæque, nuces, & cerea pruna.  
 Non tamen exegit sua tempora pomifer annus,  
 Et tristis subrepit hieins, & nubila toto  
 Sparguntur cœlo, jamque est sine frondibus arbor,  
 Descenduntque nives è verticibus præruptis,  
 Et rapido Boreas tellurem turbine perflat.  
 Hic ordo rerum, & series repetita quotannis  
 Sollicitis acuit curis mortalia corda.  
 Unde parens etenim tellus tot sufficit herbas ?  
 Unde solum incultum dudum, & grave pondus, inersque  
 Submittit varios ullo sine semine flores ?  
 Nempe aiunt, qui doctrinæ præstante labore  
 Suppeditant præcepta, gravis solatia vitæ,

Aëra

Aëra per tenerum tacitum descendere cœlo  
 Humorem ex alto, quo uno est uberrima tellus.  
 Non satis id nosse est: peragrandi mente sagaci  
 Majora explorare animus, quibus humor ab oris  
 Ille ruat, quando tellurem frugiferentem  
 Aëraque humectat liquidum, zephyrosque reducit,  
 Effigiemque aliam mundus capit, illius ergo.  
 Cum Tauri hospitio excipitur sol aureus, & jam  
 Corniger illum Aries alio prospectat euntem,  
 Lætitia exultat cœlum, totumque repente  
 Panditur, & terras diffuso lumine vestit.  
 Tum decus egregium Veneris pulcherrimus ipse  
 Lucifer, aureolus mundi stellantis ocellus  
 Non alias quantum, servando pro orbe laborat:  
 Tum pater ex alto descendit plurimus æther  
 In gremium matris terræ, optatoque receptus  
 Ut primum spectat jucundam albescere lucem,  
 Rore levi adsparget fragrantia floribus arva.  
 Qui vero ardenter solis circumferat orbem,  
 Candentem ut visat stellato corpore Taurum,  
 Hæfitat hic animus: quando est & credere dignum  
 Non ex se orbes, verum aliquo impellente moveri.  
 Qui movet hic etiam, cujusquam si indiget usu,  
 Fretus ope alterius, non est hic maximus ille  
 Quem vestigamus: tandem fateare necesse est,  
 Esse modum rebus, quemquam fateare necesse est,  
 Principium tanquam rerum: qui non tamen ullo  
 Auxilio indigeat, moveat tamen omnia primus.  
 Hic Deus, hic opifex rerum est, hic rector Olympi,  
 Quo sine nil sanctum, firmumque: huc se omnia vertunt,  
 Omnia contendunt, abeunt, redeuntque vicissim.  
 Qualis, quam aspicimus stellis ardentibus aptam,

Omnia

Omnia complexa est moles, hæc æquora, terras,  
 Aëraque atque ignem capit & complectitur una.  
 Excipit omnipotens latè omnia, rebus & unum  
 Sese ultro citroque volans mirè omnibus addit,  
 Quem tamen haud quicquam capiat, trans æthera, transque  
 Ardua tecta Deûm caput extulit ipse sua vi,  
 Exuperatque omnem sensum: velut æquoris undæ  
 Velivoli angustum labentis fluminis alveum:  
 Præterea nil mens hominum scrutatur, & ultro  
 Hæc ubi devenit, tandem ad delubra quiescit:  
 Hinc egressa alis firmis, & præpete penna  
 Jam melior Divûm circumvolat aurea templa,  
 Miraturque procul quem propter creditit esse  
 Rectorem superûm: qui cùm loca compleat omnia,  
 Semper abit, nusquam est, seque in se continet uno.  
 Ipse omne est, quodcunque vides in luminis oras  
 Exire, & quodcunque ætas fugientibus annis  
 Abstulit, & seri valeant spectare nepotes.  
 Ille nihil rerum est, quas majorum tulit ætas,  
 Aut quæ sunt, aut quæ longo pòst tempore fient  
 Munere naturæ, vel temporis intervallo.  
 Atqui contineat cùm se pater ædibus ipsis,  
 Mirum est, occultans ut gestiat antè videri  
 Regificè incedens turmis instructus Olympi,  
 Deneget utque omne os illud spectare verendum  
 Quenquam hominum, quenquam Divûm, & contingere  
 In gyro qualis percurrens aureus alto [ luce.  
 Sol face flammanti, quamvis sese æthere toto  
 Spectari velit, & terris ostendat apertis,  
 Non rectâ est oculis hominum jubar undique plenum  
 Perspectum, quorum nobis acerrimus omnium  
 Est sensus: quòd fortè aciem pretendere si quis

P

Jam

Jam velit, & temerè radiis insistere totis,  
 Non feret astrorum princeps, perstringit at ipse  
 Ipse aciem, sensumque omnem spectantibus aufert.  
 Sat tibi sit Regem tantum nunc nosse Deorum,  
 Fas & jura finunt quantum: vel non satis hoc est  
 Cernere te naturæ opus egregium omniparentis?  
 Tun' pictam aspicias tabulam, atque extare magistrum  
 Certum aliquem haud dubites, scita qui finxerit arte?  
 Pocula tun' species cælata, atque aspera signis,  
 Protinus & clames, divini opus Alcimedontis?  
 Quicquid id est magnum, ah videoas, nec protinus ore  
 Adclames toto: mundi ô Pater, Auctor & Altor?  
 At verò hæc olli quî fint mortalia curæ,  
 Quive aciem flectat per tot diversa, videndum est:  
 Quandoquidem causas rerum, quique ardua norunt,  
 Astrorum, cœlique vias, malus impulit error:  
 Neve labor superos aliquis, neu cura quietos  
 Sollicitet, procul à vera ratione feruntur:  
 Humanosque animos, donum omnipotentis Olympi,  
 Haud veriti dixisse simul cum corpore obire.  
 Tantus amor doctas mentem excoluisse per artes.  
 Ergo agite illustres animi, quos vivida virtus  
 Evehit ex humili liquidum super æthera terra,  
 Dicamus, nam scire licet quibus integra mens est,  
 Qui pater omnipotens mortales lumine sancto  
 Despiciat, spectansque vacet tamen ille labore.  
 Qualis prærupto in Lathmo sub nocte serena  
 Aërium gyrum aspectans, cœlumque profundum,  
 Una acie jam mille faces, mille ignea cernit  
 Sidera, convexo latè fulgentia cœlo:  
 Sic decus æternum, decus admirabile rerum,  
 Et longè ex alto seductas æthære terras,

Et

Et mare ventosum, cœcisque offusa tenebris  
 Tartara despectat, dum se circumspicit unum.  
 Qui verò labor hic? pulchrum qui temperat orbem  
 Absque labore aliquo, & magno se corpore miscet,  
 Si videt impositas lapidosis montibus urbes,  
 Humanumque genus magnis propè Diis æquale.  
 Adde quòd immensas vires non ulla fatigant  
 Tempora, non ulli possunt superare labores.  
 Illi æterna quies, nec divini imminuit quid,  
 Præbeat et si ægris faciles mortalibus aures.  
 Ut sol æquoreas radiis cum corripit undas  
 Multa Deo similis ( componam maxima parvis )  
 Si latum Oceanum fulgenti lampade lustret,  
 Non madet, haud falso suscepit in æquore labem,  
 Mane novo surgens iisdem jubar ignibus ardet  
 Purpurei referens radiatum insigne diei.  
 An verum, summumque bonum dum voce vocatur  
 Ante aras, varijs latè florentia fertis  
 Cum delubra petit, cumulatque altaria donis  
 Integer, & multa insignis pietate sacerdos,  
 Non videt, oblatosque aris non sentit honores?  
 Heu cadit in quenquam scelus hoc? qui id credere dignum  
 Dicere non metuat, si qua est reverentia veri.  
 Si leges hominum, & sancta aspernare reperta,  
 Ultorem ne temne Deum, memoremque nefandi.  
 Hoc est, aut silicem duris in montibus illum  
 Dicere, vel chalybem: tantum suadere malorum  
 Mens sibi cœca potest, densisque sepulta tenebris.  
 Incœptum peragamus iter: non scrupula nobis  
 Hæc tentanda via est, qua non impunè viator  
 Præteriit, multave pèdem cum laude reflexit.  
 Jam mihi cœlestum numen, sedesque beatæ

Apparent, ubi vera quies, ubi lampade lustrat  
 Omnia sol melior, semperque innubilus æther :  
 Quò mala non properat Venus, & sceleratus habendi  
 Non amor accedit: sed ubi mens conscia veri  
 Ipsa suum agnoscit dominum, rerumque magistrum  
 Æternum, omnipotentem, Regem hominumque deumque,  
 Hunc tu jam signis liquidò cognosce volentem,  
 Qui veluti cùm instructa acie Rex inclytus armis  
 Egregios animo heroas legit, advocat usu  
 Si veniat, Martis cum res & tempora poscunt,  
 Ut resides turmas, desuetaque pectora bello  
 Admoneant, hortentur ad horrida promptius arma:  
 Erexere animos omnes, atque ordine facto  
 Quadratum jam animosa acies consistit in agmen,  
 Et parat adversos hostes discludere vallo,  
 Altaque disjecta transcendere moenia turri.  
 Ille loco medius tutam deducere castris  
 Imperat aut fossam, vel milite moenia cingit :  
 Ille jubet, parent illi, admirantur & omnes.  
 Non aliter pater omnipotens de legit in alto  
 Æthere felicès animas, quæ tempore certo  
 Auratos orbes, & maxima sidera volvant.  
 Hæc grave Saturni sidus, vehit altera magni  
 Astra Jovis: flammam horribilem & crudele minantem  
 Duro hominum generi sœvi vehit altera Martis :  
 Hunc penes ignito curru, flagrante pyropo  
 Ostendit jubar auricomum, qui temperat orbem  
 Ingens luce sua magni dux maximus astri :  
 Proximus est heros olli gratissimus ipsius  
 Cœlicolis, dulcemque oculis qui spiret amorem,  
 Te veniente die producens Phosphore ab Ida,  
 Teque abeunte altam compellens Vesper in Octam :

Ponè

Ponè autem longo intervallo, & cursibus iisdem  
 Procedit juvenis, cui non sua certa voluntas,  
 Ingentem licet egregiè contorqueat axem :  
 Ultimus aspectat terras, quo nocte silenti  
 Ostendit sese nobis argentea Phœbe.  
 Quo verò tu rem magis admirabere nullam,  
 Conficiunt certo tantos ex ordine cursus,  
 Ut tibi non dubium jam sit, supera alta tenere  
 Cœlicolas connixè orbes atque astra moventes.  
 Hinc Regem nimirum adstare erronibus illis  
 Nosse potes, quando modus est in rebus agendis.  
 Nam neque fortuitum quicquam est, quod semper eodem  
 Tempore fit, quod ne tantillum ex ordine cedit.  
 Nec verò hoc numero contenta est regia Divūm,  
 Quando alii cœlo spatiantur, & agmine facto  
 Concelebrant regem superūm, sonat arduus æther,  
 Et regem magni referunt penetralia Olympi.  
 Hi se præcipites per inania nubila mittunt,  
 Subjectasque vident urbes, hominumque volanteis  
 Attollunt humeris mentes ad coerula cœli.  
 Hi mare ventosum spectant, fluctuque laborem  
 Jactatis demunt : tantum benefacta merentur.  
 Informes alii larvas, & tristia terrent  
 Tartara, vel fontes damnant pallentibus umbris,  
 Victoresque alacres repetunt simul aurea tecta :  
 Quàm multæ circum bis victæ Pergama Trojæ  
 Tyndarida ob raptam Graiæ federe phalanges :  
 Quàm multæ Emathiæ in campis fremuere cohortes,  
 A focero & genero Romanis dum acriter armis,  
 Et patrio externoque est milite decertatum.  
 Nec vos præteream, magni quibus atria Regis,  
 Et secreta patent Divūm : vos omnia quæ sunt,

Quæque ætas delevit edax labentibus annis,  
 Et feros maneant nostis quæcunque minores  
 Per ves venturis seclis referanda nepotum :  
 Quos humeros cinctos pena, & fulgentibus alis  
 Sæpe sacerdotes casti, dum mascula thura  
 Ante aras adolent, manifesto in lumine cernunt.  
 Hi quæ contingent, quæ mox ventura trahantur,  
 Et rerum secreta canunt, humentibus umbris :  
 Et cùm nox operit terras ex æthere lapsi,  
 Præpetibus pennis certissima somnia portant.  
 Hos, genus antiquum Solymorum, maxima rerum  
 Dum fuit urbs Solyma, ex alto deducere cœlo  
 Carminibus referunt solitum, & de more vocatos  
 Advenisse illos velatos vestibus albis,  
 Et crines auro & viridanti fronde revinctos :  
 Scilicet in sacris tantum sacra nomina possunt.  
 Nec mirum, sic magna iis observantia Regis,  
 Nomine ut auditio paveant : quo nigra tremiscunt  
 Tartaraque & Tellus, & raucisona Amphitrite.  
 Nam quamvis illum vox non enunciét ulla  
 Mortalis, fecere tamen sacra nomina vates.  
 Hinc rerum Dominum, tempestatumque Potentem,  
 Et mundi Altorem, complexumque omnia Numen  
 Tergeminum, Omnivolum, & magno se corpore miscens,  
 Dixere : hinc, nubes qui inter caput extulit altas,  
 Præpetibus volucrem pennis, & fortibus alis,  
 Magnaniūm autorem superūm, qui ætatis id ævo  
 Sit, fueritque omni semper florente juventa :  
 Hinc belli dominum, quod justis Regibus adsit,  
 Dum sanctas armis leges & jura tuentur.  
 Id puer in Solymorum agro dum pectore versat,  
 Pastorale gerens tegmen, peramque, cothurnosque,

Ausus

Ausus inexperti est tentare pericula belli.  
 Irruit in fines palmosæ & divitis urbis  
 Monstrum horrendum, ingens, hominem quo foemina partu  
 Tempore non alio magis est enixa tremendum :  
 Ipse quidem miles, dux ipse ingentia bella  
 Pugnabat, victorque virûm, spretorque deorum,  
 Atrox, terribilis, seu lumina torva videres,  
 Seu Libyci pectus squamosum pelle draconis :  
 Impunè haud quisquam (miserùm) fuit obvius illi  
 Sive pedes, sive iret eques, seu fortiter hasta,  
 Seu rem falcato gereret jam comminus ense.  
 At puer egregius jam magni cura Tonantis  
 Armorum Rege accito, sub numine torquet  
 Qui fera bella suo, viresque irasque ministrat,  
 Agresti lapidem funda detorsit in hostem.  
 Ille volat stridens, magnum & per inane volutus  
 Temporibus duris hæsit : cœloque minantem  
 Tollentemque manus, robustaque colla moventem  
 Stravit humi, puerique simul victoria parta est.  
 Vedit & Epeiros (certa hæc, & cognita res est)  
 Dùm cornu Parthus Gortynia spicula torquet,  
 Ire ducem adversus florentes ære catervas,  
 Pro clypeoque hosti nudum ostentare lacertum.  
 Vedit & Epeiros sternentem Parthica ferro  
 Corpora, & Euboïcos spumantes sanguine rivos :  
 Mille ducem Parthi magnum petiere sagittis,  
 Mille illum telis : nec erant loca pervia ferro,  
 Nec tantæ terrere virum potuere phalanges.  
 I nunc, & Regis meritis diffide Deorum.  
 Namque velut solido concreta ex marmore rupes,  
 Horrifer aut Boreas, aut illam verberet Auster,  
 Dura solo perstat, terræque immobilis hæret :

Telorum haud imbres aliter, validasque secures,  
 Ingentes equitumque alas tulit optimus heros,  
 Quòd superūm implorasset opem, quod voce vocasset  
 Cœlicolūm Regem.

Nec me animi fallit, multas non posse Latinis  
 Vocibus ostendi voces & nomina Regis  
 Esse deūm multa, atque eadem cecinisse priores,  
 Orpheo, Mercuriumque, Linum, & Mosen Deo amicum.  
 Atque equidem ni alias usus mihi nare per undas  
 Nunc foret, & certo religandā in littore funis,  
 Forsitan hoc magis incurvarem gurgite remos.  
 At quoniam nobis animæ natura videnda est,  
 Esse Deum, atque animas cœli in penetralibus altis  
 Ostendi, illa aliis post me memoranda relinquo.  
 Et quia dicendum, ut nascentibus insinuetur  
 Omnis ab uno anima, ecquis sit Deus omnibus unus  
 Æquoribus, terrisque, canam, cœloque profundo.  
 Multa autem tecum repetas, multa ipse volutes  
 Dicta quidem, magnis dum diximus astra moveri  
 Quæque suis ducibus : vires tamen omnibus unum  
 Sufficere, atque illum rebus satis omnibus unum.  
 Nunc verò ( si quid, dum dia poemata vatum  
 Oblectant faciles animos, peperere malorum )  
 Dicemus vera quicquid ratione receptum est.  
 Nimirum exiguae vires mortalibus ægris :  
 Id genus humanum volvens, & parva labore  
 Non sine concedi magno, dum pectore versat,  
 Ipsum se longè potuit deducere vero.  
 Ut duro cùm quis morbo jactatur, & æstu,  
 Cordaque & arentes fauces gravis occupat ardor,  
 Tristia dum incenso jaētat suspiria corde,  
 Arentique trahit tremulam de pectore vocem,

Hydrochoi

Hydrochoi quamvis cinxerunt æthera nimbi  
 Æstatem increpitat properam, infensumque Leonem :  
 Sic hominum genus invalidum, molem hanc operosam  
 Adduci haud potuit moderandam ut crederet uni.  
 Hinc mare nigerum Neptuno, hinc tartara Diti,  
 Alta Jovi magni cesserunt moenia mundi.  
 Nec dubium cuiquam illud, Naturam omniparentem  
 In rebus servare modum certo ordine rerum :  
 Quæ ratio in causis, quî nam dicetur origo,  
 Fonte nisi ex uno velut omnia deducantur ?  
 Quòd si stare uno dubio procul hic queat orbis,  
 Rex hominum, divûmque unus, Deus omnibus idem est.  
 Is tamen immensus, nihil hoc felicius usquam.  
 Is Deus, haud alter, ni omnes supera alta tenentes  
 Non bene magnorum dignemur voce Deorum,  
 Scilicet hoc veteres ipsi fecere poëtæ :  
 Nosque etiam voces rerum, non sensa secuti,  
 Ipsa ut verba cadant numerosa & dulcia in aures,  
 Sæpe Deos testes adducimus immortales.  
 Verùm aliter res ipsa, Deus, Deus ille vocandus,  
 Qui terras, tractusque maris, qui sidera, cœlum qui  
 Æternis regit imperiis, cui sidera fulgent  
 Aurea, labuntur, surguntque micantia mundo.  
 Principium hoc rebus, nihil hoc prius, æquiparandum :  
 Quandoquidem nihil est sic omni parte beatum.  
 Quòd si Dii plures, numerum si augere Deorum  
 Fortè licet ( fac esse ) pares sunt, numine eodem ?  
 Ergo principium nullum : vel dicere cordi est,  
 Principium fore principio? quod ineptius esset.  
 Maximus at si quis, si quisquam est optimus unus,  
 Cui parent reliqui, cœli cui regia servit,  
 Optimus ille Deus, Deus est & maximus ille.

Non

Non dii sunt igitur, quos & parere necesse est,  
 Qui longè observent alium, metuantque jubentem.  
 Nunc ne tu inscite à vero desciscere quicquam  
 Me duce jam possis, rerum alta arcana docebo :  
 Ne dum forte meis intendis mentem animumque  
 Præceptis, anceps veri te ludet imago :  
 Quod Rex avertat superūm, qui hoc omne monebat  
 Ipse rudes olim populos, perque ora parentum  
 Et nati, & seri longum accepere nepotes :  
 Omnia quem pariter quondam videre docentem.  
 Ipsi oculis sancti heroes felicibus annis.  
 His dictis animum informamus, quando ita nobis  
 A patribus sunt præclarè monimenta relicta.  
 Quæ supereft igitur, magna hæc, jam percipe, res eft.  
 Ille opifex unus rerum, Deus unus ubique  
 Treis fefe in species aperit, treis dicere possim  
 In formas, jam vocem aliam si repperit usus.  
 Nam dum res omnes vestigat, & abdita luftrat,  
 Effigiesque animo rerum, & secum omnia volvit,  
 Scrutaturque suas vires, Pater ille Deorum eft :  
 Mens illi in rebus peragendis optima ( quando  
 Optimus ipfe omnis ) quæ mundi temperat orbem  
 Mens Deus illa Deus, coeli quam in vertice summo  
 Cœlicolæ appellant magnum patris incrementum :  
 Huic dedit imperium sine fine, hunc dædala tellus  
 Accipit autorem frugum : per quem aurea Solis  
 Spicula discutiunt tenebras, lucemque reducunt.  
 Hunc mare cœruleum observat, quòd hic æquoris undas  
 Instituit labi, quòd monstra immania ponti  
 Protulerit, mutumque genus creet, auctet, alatque.  
 Dum tamen hic patri obsequitur, dumque ille gerentem  
 Aspicit ingenuè natum omnia, magnus utrumque

Tangit

Tangit amor, vique ingenti perculsus uterque est.  
 Qui tamen hic animis potuit cœlestibus ardor  
 Se insinuare, Deus nisi maximus ipse fuisset?  
 Sic se regnator superum, licet unus ubique,  
 In formas treis exponit mortalibus ægris,  
 Sic se cœlitibus: mira & certissima res est.  
 Is rex omnipotens, is rex hominumque deumque  
 Materiem statuit rebus satis omnibus unam:  
 Hac pecudes, hominumque genus, piæque volucres  
 Terrenos capiunt artus, moribundaque membra:  
 Hac nitidi pisces alti sub marmore ponti  
 Corpora sunt, sensusque ipsos impellere possunt.  
 Dicimus hanc etiam genitalia semina rerum,  
 Si mente accipias variæ sub imagine formæ,  
 Hanc elementa, quibus connexis ordine certo  
 Omnia miraris prodire in luminis oras.  
 Igne calere vides, terra durescere corpus,  
 Diffundi humore, atque incana ætate resolvi,  
 Aëreque augeri, seque attollere sentis.  
 Hæc tamen haud oculis quidquam dant cernere, quando  
 Imperfecta quidem sunt ipsa, & corpora cœca:  
 Sidera sed radiis, & cœlum insigne coruscis  
 Dum late fulgent, cœcis inimica tenebris  
 Quæ latitant pelago, latebris quæ monstra ferarum  
 Despiciunt, & luce sua dant lumina habere.  
 Hinc cœli nobis jucundum lumen & astra  
 Ut duo sunt oculi, quibus omnia prospectamus.  
 Sic ingens etiam dum volvitur undique moles,  
 Quippe vigent, motuque suo fas cuncta moveri:  
 Hoc sine non rapidum ventosum perfluit undis  
 Æquor, nec bibulæ ventis jactantur arenæ:  
 Non spoliata arbos quassat ramalia fronde:

Idem.

Idem adeo rebus modus, & cœlo irrequieto.  
 Aucta opibus tantis, tantoque exercita motu  
 Materies hinc apta ad res, fœcundaque vires  
 Suggerit ipsa sibi, & quos occultaverat alvo  
 Edit maturos longo post tempore fœtus.  
 Utque illis permixta insunt elementa vicissim,  
 Eminet utque aliis aliud, natura per artus  
 Serpit, & ingenium toto se corpore miscet.  
 Porro ignis magis est illis, qui ardoribus iræ  
 Contiuuo flagrant, acrique dolore premuntur,  
 Flammantes ollis oculi, & ferventia corda:  
 Hos tu ne in caveas, hos tu ne in vincula coge,  
 Quos sibi conspicias potius conciscere lethum,  
 Quam tolerare jugum, & domini fastidia ferre.  
 Sunt quæ non dulci declinent lumina somno,  
 Usque adeo metuunt animantia, & abditus imo  
 Est in corde levis pedibusque fugacibus aër:  
 Hinc ovium placidum genus, & male pinguis aselli,  
 Bucerialisque greges, quibus est & plurimus humor,  
 Terraique nimis, vix ire per arva videmus  
 Hortatu, stimulis, & lentæ verbere virgæ.  
 Vescum fal aliis, aliis est triste cuminum  
 Jucundum hac ratione, aliis est dulcis amaror.  
 Jamque adeo causas animo lustrare latenteis  
 Te licet his pulchre instructum, qui fortis equi vis  
 Ad cursum, ad magnos cur sit proclivis amores:  
 Sedula quid tantum metuat formica senectæ.  
 Namque ubi concrescit corpus, primordia rerum &  
 Quatuor illa ineunt concordi foedera nexu,  
 Sensifer & motus primum, mox certa per artus  
 Compages quædam pro corporis augmine repit,  
 Cui nomen Græci fecere: at dicere aventem

Non

Non ætas sinit invidiae perfusa veneno :  
 Tempora ad hæc tandem pervenimus, atque ita paucis  
 Nostrorum auriculæ pueriliter offenduntur.  
 Nunc redeo ad rem : principiis feliciter illis  
 Compactis porro tenuissima sanguinis aura  
 Exoritur, tacitusque hærens in corpore succus.  
 Hinc variæ naturæ animantium : utque est ea rerum  
 Temperies, sua quemque trahit, retrahitque voluptas.  
 Non autem hos tu sejunctos à corpore morbos  
 Adfectusque animi videas : sed repere passim,  
 Et vulgo ex ipsis moribundis surgere membris.  
 Partem aliam nunc specta animi prudentis, & altæ  
 Participem rationis, vis quænam illa repente  
 Tollit se celerem liquidum super æthera ? & extra  
 Procedit longè flammantia moenia mundi ?  
 Ecquibus ad cœlum toties se sustulit alis ?  
 Invisit Divumque domos, atque ardua tecta ?  
 Cur tantum molitur iter ? vel quo duce ? si non  
 Hic suus est olli locus, & cœlestis origo ?  
 Nempe solum patrium cuique est, exercita cursu  
 Flumina habet pontus, quo cum venere quietcunt :  
 Si quid in altum vi jacias, descendet, & ipso  
 Jam torpens duro consistet in æquore terræ :  
 Si vapor est usquam, facile quem corripit aér,  
 Solvitur & tenuis vacuo lætatur in orbe :  
 Flamma vorax etiam cum postibus hæsit adesit,  
 Velle quidem ostendit supera ad convexa volare :  
 Tantus amor sedis, placidæ est ea cura quietis.  
 At vigor ille animi, tenebris & carcere cœco  
 Contemtis, volat ad superos, & simplicis ignis  
 Auraï similis fertur, juvat ire per astra  
 Aurea, & extorrem patrio considere cœlo.

Quod si mortales artus, moribundaque membra  
 Non obstant, jamjam ipse Deum, totumque recludit  
 Æthera, magnorumque procul secreta Deorum.  
 Quis vigor iste animi? quæ tanta oracula mentis?  
 Quive petit supera, & superum quæ tanta cupidus?  
 Scilicet hæc veteres, eademque exempla secuti  
 Æthereos haustus animis dixerunt minores  
 Esse, Deumque ipsos cœlo demittere ab alto.  
 Namque velut radiis sol igneus omnia lustrans  
 Corporibus primis se miscet luce, paritque  
 Omnia quæ mundo generatim secula propagant:  
 Sic pater ipse animas, dum se admiratur, amatque,  
 Sponte creat, sanctumque homini dat pignus amoris.  
 Ferre sui monumentum ingens, atque artibus addit  
 Divinæ auræ æternis ex ignibus ignem,  
 Ulla ne eas mortis perimant immania fata.  
 Hinc ubi materna concrevit corpus in alvo,  
 Explevitque suos numeros, noviesque resulxit  
 Quinta dies, corda ipsa tument, tenerumque laborat  
 Corpus, & in totos animæ vis funduntur artus.  
 Illa loco tremit angusto, & caligine cœca  
 Mersa babit Lethen, & longa oblivia rerum:  
 Sicque diu non certa sui, cum corpore in oras  
 Luminis egreditur, membrisque inititur ipsis,  
 Donec jam firmæ perfecto tempore vires  
 Non bene convenient: animi vigor alta pererrat,  
 Scrutaturque arcana, viamque adficit Olympos:  
 Non ullæ veneres flexerunt turpiter illum,  
 Nullus honos auri, regnandi nulla cupidus,  
 Omnia seque ipsum angustis moderatur habenis.  
 Corporeæ vero pestes contra aurea mentis  
 Præcepta insurgunt, Venerem, Bacchumque secutæ

Terrenis inhiant rebus, noctique soporæ,  
 Et velut ignava indulgent animantia ventri.  
 Quin etiam si dira lues in viscera repfit  
 Intima, quanquam animis obstat, juvat æquora pieta  
 Currere lintre, & fallaci se credere vento,  
 Et dulces mutare domos, patriosque penates,  
 Ac turpes omnem vitam degisse per artes,  
 Ut mensa argento & fulvo colluceat auro.  
 His qui erit adductus, parvi rectumque fidemque,  
 Parvi sancta facit jura, & sine legibus ullis  
 Vitam agit injustus, patriæque acerrimus hostis,  
 Florenteis urbes bello civesque fatigat.

## L I B. II.

**F** Lumina qui Graiae gentis decus aurea fundis  
 Ore sacro, surgit passim quo pinguibus arvis  
 Et felix Panacea, & suave rubens Hyacinthus,  
 Pulcher Aristocles, sanctis natalibus orte,  
 Te duce non verear coecis offusa tenebris  
 Explorare, labor tuus hic mea præmia laudis :  
 Te duce non verear latitantis semina flammæ  
 Quærere, & accensam tedam de vertice summo  
 Nocte sub obscura miseris ostendere nautis,  
 Æquora dum late abruptis turbata procellis  
 Undarum eructant montes, clasisque magister  
 Hospitibus lacrimans nigram denunciat horam.  
 Quodque bonum, & faustum, & felix fortuna secundet,  
 Tu mihi quocunque hoc curæ, tu mentem, animumque  
 Suppeditas, quo tollere humo pernicibus alis  
 Me possim, & duri fulciri vertice Atlantis.  
 Unde ego despiciam, palantis qui studio otî

Est

Est superos contra mortales tollere vultus  
 Ausus, iners, stolidus, tūm voce lacescere Divos:  
 Qui dum adeò inspiceret quæ essent jucunda palato,  
 Pinguibus haud potuit cor unquam avellere mensis.  
 Quem paffim sequimur, quām ò quām diversus ab illo  
 Graius homo: Graium quid non audere putandum est?  
 Hinc, hinc Relligio, liquido quæ ex æthere lapsa;  
 Relligio decus omne virūm, decus omne Deorum,  
 Sub pedibus dejecta hominum, externataque visa est:  
 Improba vox tantum potuit suadere malorum.  
 Nam quid Relligio peperit sanctique bonique,  
 Omnibus usque adeò compertum, ut res videatur  
 Ipsa loqui, illustri in conspectu sic sita quando est.  
 Hæc servare fidem docuit, sua reddere cuique,  
 Jungere conjugio stabili, miserere laborum,  
 Et longum placidam populis laudare quietem.  
 Hæc docuit Venerem fugere, & Diis degere vitam  
 Dignam, nec furiis blandi indulgere Lyæi.  
 Quòd si quis curare Deum mortalia quenquam  
 Deneget, ille mihi infortunatusque laborum,  
 Infelixque animi: qui ne quid linquat inausum,  
 Omne nefas ausus, scelera omnia pertentavit.  
 Quòd si idem curæ superis nos esse putasset,  
 Et fontes meritas post lethum pendere poenas,  
 Non malum adulterium & cœcæ mala gaudia mentis  
 Esset posthabita usque adeò virtute secutus.  
 Hinc & avarities, luxusque ministra libido  
 Surrexere, & contempta formidine Divūm  
 Humanam foedè vitam stravere jacentem.  
 Quid ni? post cineres muta omnia, nec ratio unquam  
 Reddenda, & nusquam posthac Acherusia templis,  
 Nilque Erebi tenebræ, nisi tantum fabula inanis

Judicio

Judicio illorum, mentem quibus abstulit error.  
 Quod nos esse aliter, tenebrasque ignesque manere,  
 Et meritis aliquos alto succedere Olympo,  
 Quo sine nil meditari sum potis, ipse pater si  
 Omnipotens magni concesserit incola cœli  
 Dicemus: quoniam quæ sponte recepimus, urgent.  
 Nunc aliò vertamus iter, nunc ad rationem  
 Ingenii vires omneis adhibere necesse est.  
 Hic ego te, Sadolete pater, sacra illa docentem  
 Sancta adstare velim, non tam certare paratus,  
 Quàm te imitari: etenim raucus quid oloribus anser  
 Contendat liquida mulcentibus æthera voce?  
 Nam magni refert, quicum sit sermo: tuis quæ  
 Aut teretes magis, aut tritæ sunt, Juppiter, aures?  
 Mitius at nihil est, nihil est humanius illis.  
 Nunc me difficili pangentem carmina de re  
 Inter egestatem patrii sermonis, in æstus  
 Prospicio invidiæ violento turbine ferri:  
 O mihi quas turbas, quos surgere cerno labores,  
 Ni bone me Sadolete juves, & vulgus ineptum  
 Parte libri hac magna jubeas absistere voce.  
 Namque ( fatebor enim ) multi præclara reperta  
 Doctorum illa hominum, dulcis vera otia vitæ  
 Non novere: quibus nostra hæc incognita, quid ni?  
 Dura videbuntur, cœca & caligine tecta.  
 Hi mea non cupio, at mando, ne carmina ( possim  
 Si impetrare ) legant oculis, mihi tu satis unus:  
 Ni te operam dare pœniteat Sadolete libello.  
 Quod si fortè aliquos mavis accire legentes,  
 Quales nunc habet ingenii Germania florens,  
 Gallia vel tua jam, tua vel Saturnia tellus,  
 Integrum tibi sit: liber hic ex parte tuorum est.

Q

Principiò

Principiò mentem atque animam diversa fatemur :  
 Quando opus illius mens est, & nuncia quædam.  
 Verba sed hæc eadem veluti jam trivimus usu :  
 Namque animam mentem appellamus : non ita verò est.  
 Hæc crescit, firmata viros ubi fecerit ætas :  
 Decrescit pariter, longum fugientibus annis,  
 Utpote quæ auxilio, quæ corporis indiget usu.  
 At vis illa animæ est eadem pueraque senique  
 Semper, & ipsa omnis per totum didita corpus,  
 Non aliquid mixtum, non concretum ex elementis,  
 Sed purum, æternum, quodque omni est tabe solutum.  
 Nam qui corpoream dicunt cum corpore obire,  
 Et nasci ; quæ est infani via nulla feruntur.  
 Nam si corpus erit, terramve, ignemve necesse est  
 Esse, vel humorem, teneri sive aëris auram,  
 Aut ex his quicquam, quod non rationibus ullis  
 Confieri constat : quando cognoscere cœcos  
 Eventus rerum, quæ gesta prioribus antis  
 Sic benè lustrare, & constanti mente tenere,  
 Non opus hoc terræ, non aëris, aut levis ignis.  
 Vis dare quæ leges potuit, quod corpus iniqua  
 Nosse ? & quæ nobis essent sudore paranda,  
 Suaviloquis dictis exponere, & aurea nobis  
 Scribere præcepta, & seros monuisse nepotes ?  
 Porrò quæ corpus non sunt, ea corpora nosse  
 Nulla queunt.  
 Ergo aliud, quicquam illa aliud, simplexque nec hilum  
 Fecis habens : si corpus enim, vel corporis esset  
 Pars aliqua, iisdem nutrimentis surgeret æquè :  
 Quin etiam dapibus gravis, & bacchante Lyæo,  
 Et prudens magis, & multo sapientior esset.  
 Verùm aliter res ipsa quidem : dum corpora læta

Viribus

Viribus exultant propriis, decedere vires  
 Confuevere animi, & puræ vis insita menti  
 Indupedita jacet, nec sese attollit ad auras :  
 Quò magis & luxus membris, alimentaque defunt,  
 Illa magis firmis perniciose evolat alis.  
 Ergo altè vestiga animo, remque altius omnem,  
 Magnorumque virūm præclara inventa capeſſe :  
 Scilicet ipſe Deūm ſeclis pater omnibus idem  
 Deficere haud unquam poterit : quòd dum omnia curat,  
 Ipſe ſibi tantum curæ eſt, ſe auditque, videtque,  
 Ipſe in ſe magni in faciem reflextur orbis.  
 Illa itidem ſibi nota, ſuas ſecum ipſa volutat  
 Immensas vires : ſancta que cupidine capta  
 Rerum æternarum, liquidi ſuper ardua cœli  
 Dum sequitur, ſeſe tollit perniciibus alis,  
 Itque reditque viam, & gyros metatur eosdem :  
 Dumque Deos videt immortales, illa Deus quis  
 In ſe convertit vultum, formamque, coloremque  
 Agnoscit Divūm, & ſeſe admiratur, amatque.  
 Cernimus haric etiam dominati in corpore tōto,  
 Ionio in magno qualis volat uncta carina,  
 Et mare per rapidū ventis interrita fertur,  
 Tuta ſuo nauta : qui contra flabra Aquilonis,  
 Contra Auftri optatum ſuevit contingere littus :  
 Haud artus terreni aliter moderamine mentis  
 Luctantes contra Veneris fluctusque Lyæi  
 Tuta ſecant, ſequi eripiunt pellacibus undis.  
 Nonne vides, diſcreta magis quo à corpore mens eſt,  
 Quæ, quanta incedat viētrix ? quamque æthera ſupra  
 Evolet ad ſuperos nullo duce, ſed ſibi fidens  
 Objicibus ruptis membrorum, & carcere cœco ?  
 Si non eſt igitur corpus, quod ſemina rerum

Q 2

Effiant,

Efficient, cum jam extremus calor ossa reliquit,  
 In quid abit? quò vis illa exhalata recedit?  
 Non aqua, non aér, non tellus, non levis ignis:  
 Si natura parens penitus consumere quicquam  
 Non audet, longa nec res abolere fenecta  
 Ipsa potest natura, parit quæ quicquid ubique est,  
 In quid abit? quò vis illa exhalata recessit?  
 Non aqua, non aér, non tellus, non levis ignis.  
 At nunc cum cordi non sit rumoribus falsis  
 Pugnare, egregiè ratione inventa capeſſe.  
 Nonne vides, ut materiem & faciem illius omnem  
 Excipiat singillatim mens omnia lustrans?  
 Quæ si tale eſſet quicquam, internoscere posſet  
 Effigies harum nusquam, & discrimina rerum.  
 Namque opus eſt, animam sanè nihil eſſe, quod ipsa  
 Excipit: atque acies varios viſura colores,  
 Omnibus iis pariter caret ipsa coloribus omnis.  
 Nonne vides etiam quæ ſit perceptio rerum?  
 Nam dum sanctum animal, mentisque capacius altæ  
 Ut ſit homo mens comprehendit, non protinus illum  
 Aut hominem videt hunc, certo neque tempore quenquam:  
 Et tamen illa hominem vidit quemcunque priorum,  
 Et quem noſtra tulit, quem postea proferet ætas.  
 Adde etiam quæ ſunt ipſis pugnantia rebus  
 Haud obſtant animis, dum quis putat eſſe calorem,  
 Et frigus putet eſſe, potest comprehendere utrumque:  
 Et pugnant quamvis, animo comprehenſa tenemus.  
 At verò quocunque perit, pugnare neceſſe eſt  
 Quām pereat prius: at ſi cui contraria non ſint  
 Invidia quædam naturæ atque arte parata  
 (Quppe nobis ſemper ſtudeat cum Dædala rebus,  
 Nec quò ſe vertet jam habeat, quodquæ arma ministret)

Difſolvi

Dissolvi haud poterit, lethi est quod lege solutum.  
 Huc illud simul accedit, quod corpora nulla  
 Efficere ipsa queunt: secum componere parvis  
 Magna solet, certo & nunquam requiescere fine.  
 Mens etenim lapsis quid non meditabitur annis  
 Quod fuerit? nullus quamvis sit terminus ævi.  
 Illa viam secum, spatiumque immane volat,  
 Et longum numeris numeros crescentibus auget.  
 Quòd si infinitum quicquam metitur, an illud  
 Finitum esse potest? quænam comprehendere vires  
 Exiguæ immensum possent? modò cogit in unum  
 Omne hominum genus, & quod non numerabile certè est,  
 Colligit, & secum numerat: rursusque quod unum est,  
 Dividit in partes, nunc has, nunc accipit illas,  
 Alternatque vices, ullo nec fine quiescit.  
 Quin etiam in formas se & vultus induit omnes:  
 Utque pater rerum, rebus sese omnibus addit.  
 Namque adeò pictam volucrem dum concipit esse,  
 Vertitur in volucrem mens: & dum cogitat astrum,  
 Astrum est illa itidem: quòd si qui sidera volvit  
 Aurea concipiatur, mens aurea sidera volvit.  
 Dumque opus aggreditur magnum, admirabile factum,  
 Componit rerum dominum, rerum illa videtur  
 Jam domina, & certis moderari legibus orbem.  
 Denique nil adeò est usquam magnumque bonumque,  
 Nil prorsus tam difficile, in quod non subito illa  
 Vertatur: verùm hoc munus liquet esse Deorum;  
 Dii formas potuere itidem se vertere in omneis,  
 Exuere & vultus omnes, perque omnia ferri.  
 Quin etiam naturâ homini est innata cupidio  
 Degendi æternum vitam: dolet antè fuisse  
 Magnanimos heroas, eodem & tempore nasci

Non potuisse : dolet longum fugientibus annis  
 Non fore, nec quicquid facient spectare nepotes:  
 Hinc curae ingentes : his ut monumenta relinquant  
 Tuta loci natura, ingentibus oppida saxis  
 Erigere, atque alto turres extollere cœlo,  
 Atque unis septem colles concludere muris:  
 Flumina vel per faxosas educere valles,  
 Et manibus hominum summos evertere montes:  
 Quæ fuerat sterilisque prius palus, aptaque remis  
 Tellurem aut hydrys, ranisque loquacibus olim,  
 Reddere seminibus latè Cerealibus aptam :  
 Hinc ubi vel dumeta prius, viburnaque lenta,  
 Sunt oleæ visæ teretes, & munera Bacchi.  
 Hinc inventa virum præclara, atque artibus omnem  
 Excolere ingenuis vitam, finesque bonorum  
 Differere, & clarum è tenebris extollere lumen.  
 Nam quid præteream heroas, qui sanguine fuso  
 Civibus imperium & placidam peperere quietem ?  
 Non illos magni possunt terrere labores,  
 Non dulcis conjux teneat, non maxima nati  
 Cura prece, aut longa confecti ætate parentes :  
 Charius est ollis duri in certamine Martis  
 Pro patria objectare animam : quin sæpe beatos  
 Adclamant se se affecti cruciatibus ipsis,  
 Vitam aspernantes vitae melioris amore,  
 Gnoſſia nec Thorio clamanti, & læta bibenti  
 Vina rosa, aut usquam cuiquam suit ulla voluptas  
 Par isti, dum tela inter, clypeosque inimicos  
 Victores jam animam multo cum sanguine fundunt.  
 Omnibus usque adeò vitam producere dulce est,  
 Quaque licet niti seclis supereſſis futuris.  
 Verum non homini nequicquam tan̄a cupido

Inſita

Infita naturâ est : quando certè optima rerum  
 Illa parens cunctis statuit finemque modumque  
 Optandi, sua quisque tamen quæ possit apisci.  
 Naturâ lupus insidiâs meditatur, & optat  
 Sternere depresso compertam in vallis capellam :  
 Auritum leporem sequitur canis ore sagaci :  
 Sed captare canis leporem, lupus ipse capellam  
 Quippe potest : naturâ etenim non infita frustra  
 Tanta cupido homini, reliquisque animantibus efficit.  
 Atqui nequicquam hic homini sese obtulit ardor,  
 In volucres tenuesque auras spes tanta recedit,  
 Rex nisi nos superum post condita membra sepulchro  
 Esse velit, duri decurso temporis orbe :  
 Si non structa diu Pario de marmore templa,  
 Florentesque addurant urbes : quin juga montis  
 Aspera, & aëriæ vicina cacumina nubi  
 Absunt tempus, rerumque inimica senectus :  
 Et juvat usque adeò insano indulgere labori,  
 O miseri, queis tantus amor per vulnera, perque  
 Supplicium mortem petere, atque extendere nomen ?  
 Obscurum ne meditata animis affuescite falsa,  
 Neu mentes anceps veri deludat imago :  
 Quando est perpetuum in terris nihil.  
 Aspice, impositæ Romanis collibus arces,  
 Et claris ornata olim monimenta tropæis,  
 Vectique ingentes extremi ex finibus orbis  
 Ut jaceant turpique situ, & sine honore colossi.  
 Scilicet & tempus veniet, cum maxima rerum  
 Roma parens, & pulcher erit sine nomine Cæsar :  
 Nec Decios, aut Romani duo fulmina Martis  
 Scipiadas quisque norit : namque astra necesse est  
 Certis temporibus terris effundere vires

Q. 4

Ipsa

Ipsa suas : his aucta virum præclara reperta,  
 Et structæ eversæque urbes, suadentibus astris :  
 Utque jubet rex ipse Deum, certo ordine servant  
 Illa vices : peraguntque suis stationibus orbes.  
 Hinc ubi longa dies, effœtæ incendia terræ  
 Contingent, Siculis ceu cum fornacibus ignes  
 Prorumpunt, flammaque imis tonat Ætna cavernis,  
 Candentes crepitant auræ, & caligine cœca  
 Aëraq[ue], & cœlum nigra ferrugine textit :  
 Intremit omne solum, liquefactaque viscera montis  
 Attollunt flammæ, & magnum per inane coacta  
 Alba çadunt, & strata jacent saxa arida passim.  
 Sic ubi terrifici latè exarseret cometæ,  
 Astrorum appulsi, & ventis mox percitus aër  
 Excutiet rapidum scissis è nubibus ignem,  
 Terrasque, tractusque maris, quæ noxia tellus  
 Corripiet, quantum prospectant sidera terras.  
 Stant etiam nimbi ingentes, & tempore certo  
 Ventura eluvies : stant & cum flumina montes,  
 Et pater Oceanus spumantibus obruet undis :  
 Quaque juga & rupes præruptæ, erit æquor arandum,  
 Felices terræ : & quæ nunc mare perfluit altum,  
 Interdum surgent vicina cacumina cœlo.  
 Quin etiam extremitis discretos partibus orbis  
 Desertas habitare plagas, nova quærere regna,  
 Explorare locos, & cingere mœnibus urbes,  
 Et dare venturæ leges & nomina genti,  
 Sidera suadebunt, ut Rex stellantis Olympi  
 Jusserit ; haud etenim penitus delere animantium  
 Omne genus certum est illi, nisi cum omnia tandem  
 Exitio dabit una dies. Ergo illa cupido  
 Nequicquam innata est homini, quæ maxima certe est,

Aut

Aut dicendi animi æterni, & meliora manere  
 Osſa ſepulcretis ubi noſtra reponimus imis.  
 Sunt exempla alia, & queis rationibus id tu  
 Adfirmare queas: nam quæ viſ illa animorum?  
 Ipsi quando aditum prorsus nihil intercludit,  
 Atque vias omneis percurrit, & omnia luſtrat,  
 Omnia pertentat volucri pernicioſ aura:  
 Ardua non illi cœli ſupera alta videntur,  
 Non ipſi manes ima tellure reponi:  
 Nunc it ad occiduum ſpectant quæ littora ſolem,  
 Perquiritque urbes, genteisque, & nomina rerum:  
 Nunc orientis opes, populosque inviſit, & omnes  
 Transcendit terras, traſtus maris, aëra, cœlum.  
 Levibus hinc animas aliqui conſtare putarunt  
 Corporibus, forte illorum ut concurrerit ordo.  
 At jam exploſa diu jacet hæc ſententia vulgo.  
 Nam ſi fortuitis fierent concurſibus, artus  
 Tempore non certo, moribundaque membra vigerent:  
 Verum nunc citius, nunc ſerius, ut tulerit fors:  
 Quin & bis ſeptem ferrent faſtidia menses  
 Matribus, aut plures, nec certis legibus ortus  
 Conſtaret, ſi caſu aliquo viſ illa ſubiret  
 Undique perficiens numeros, vigor omnia complens.  
 Quin etiam interdum magnum per inane coactis  
 Forte hiſ ſeminibus, dum ſe per mutua nectunt,  
 Nondum corporibus genitiſ in luminis oras  
 Exirent animi: quare fateare neceſſe eſt  
 Quomodo pugnabas, animos ſine corpore vitam  
 Degere, nec ſemper duo ſe coniuncta tenere.  
 Aſt alii penetralem ignem, ſed corporis uſu  
 Delabi ex ſuperiſ aiunt, omnesque per artus  
 Errare, & tacitas cordi ſubmittere vires.

Quod

Quod per delirum porro est, cum semina prima  
 Quatuor accedant, dum singula commiscentur,  
 Adrepantque solum, humorque, spirabile, & ignis.  
 Sic nihil exanimum esset, sed vigor omnibus idem:  
 Omnia conciperent animo, exaudireque posses  
 Æque homines, montesque feros, silvasque loquentes.  
 Quod si erat absurdum, Parnassi è vertice sacro  
 Harmoniam traxere nova sub voce Pelasgi,  
 Quæ res cunque foret numeris concordibus apta:  
 Delirum hoc itidem: nam quî prudentia frugi  
 Exoritur grave mentis opus? quîque optima rerum  
 Justitia augustas ornavit legibus urbes?  
 Non etenim ex numeris sunt hæc, neque fallere verbis  
 Est animus, rectam aut dictis abducere mentem:  
 Forma anima, & quædam res est certissima: tale  
 Nil numeri, incolumi re abeunt, redeuntque vicissim.  
 Quæ potui strictum: nam dicere multa parantem  
 Et verbi novitas vetat, & me cetera poscunt.  
 Nunc cape dicta, quibus tuto jam credere possis  
 Praeceptis animum, & mercedem ferre laboris.  
 Quantis omniparens natura excellere rebus  
 Humanum dederit decus, ut genus omne animantium  
 Pareat huic ultro, vel tandem serviat uni,  
 Concipe nunc agelis animo: namque ipsa videbis  
 Quæ pelago ducunt vitam, quæ flumine subter,  
 Omnia deberi nobis, quæque aëra tranant  
 Pernices volucres, & quæ pede lustra pererrant:  
 Retibus insidiæ hinc inventæ & fallere visco,  
 Hinc laqueo captare feras, catuloque sagaci:  
 Hinc prope pendentes scopulos, & gurgite ab imo  
 Jam notum in siccam pisces deducere arenam:  
 Ecquæ jam in nostros quæ non convertimus usus?

Quin etiam & tygres homini, & parere leones  
 Longa dies docuit, natæque in montibus ursæ  
 Informes errant placide vacua atria circum :  
 Stat bellator equus domini jam lætus habenis,  
 Jam patiens, jam fræna ferox spumantia mandens,  
 Et furit, & latos præbet calcaribus armos :  
 Stant & oves niveæ lanis, quæ vestibus aptæ  
 Murice suave rubent, viridi infectæque colore,  
 Graminaque atque ipsos certent superare smaragdos :  
 Ipsæ etiam pastæ referunt distenta capellæ  
 Ubera lacte domum : linquens & bucula lucos  
 Ad mulætram venit, & sera ad præsepio nocte.  
 Adspice ut indomiti quondam, nunc sponte juvenci  
 Plaustra ferant, & torvus humum pulsat pede taurus :  
 Attamen inflexo mox sese accinget aratro.  
 Vis & naturæ partes, & magna parentis  
 Munera, & ingentes terræ meminisse labores ?  
 Hæc olus egregium, betamque, apiumque, papaverque,  
 Intybaque, & virides cauleis producit in annum :  
 Hæc tibi lactucis, herbisque salubribus hortos  
 Esse jubet lætos, longoque cucurbita collo,  
 Tortilis & cucumis semper sua munera apud te :  
 Non ego serpilli, aut mentæ, & bene olentis anethi  
 Delicias taceam, aut calthæ florentis honorem :  
 Non ego pallentes violas, & mollis acanthi,  
 Narcissive comam ignotam, indictamve relinquam.  
 Quid referam aut farris segetes ? aut ordea grandia ?  
 Aut milium ? lentemque ? & amantem culta faselum ?  
 An vos præteream divini munera ruris  
 Arboreos foetus, quibus & convivia inimus,  
 Felicesque Deûm cœnas ? quid cerea pruna, [idem,  
 Quid nigra commemorem ? neque enim sapor omnibus  
 Non

Non color est unus, non idem temporis usus:  
 Vel quid mite pyrum, aut cana lunagine malum,  
 Illorumque genus varium, aut fileam Luculle  
 Poma tua? aut patrios referentia nomine Persas?  
 Non ego castaneasque nuces, oleamque Minervæ  
 Inventum, dulcesque uvas tua munera Bacche  
 Transeam, & aërii mellis cœlestia dona:  
 Non mihi si linguæ tot sint, quod dædala tellus  
 Submittit flores, & quot poma educat annus,  
 Illorum & genera, & percurrere nomina possim.  
 An vero tot muneribus feliciter auctum  
 Nequicquam, ad lacrymas tantum natura tulisset  
 Humanum genus? atqui quod præferre volebat  
 Illa operi ingenti reliquisque animantibus unum  
 Posthabuit, felixque animal dum ferre cupido est,  
 Protulit infelix, miserumque ignara futuri.  
 Ah scelus, indignumque nefas, ignara futuri  
 Alma parens rerum? certis quæ legibus orbem  
 Temperat, in minimis cuique est solertia rebus.  
 Vel non infelix hominum genus, ultima vitæ  
 Omnia lux secum si aufert? injusta noverca,  
 Non altrix blanda, aut dulcis, sed subdola, fallax:  
 Tene ego vel nostri generis natura parentem  
 Dicere, tene ausim reri? nisi præmia vitæ  
 Exactæ perstent, solatiaque ante malorum?  
 Ecquishami ærumnas, ecquisnam incommoda possit  
 Enumerare, graves hominumque referre labores?  
 Nascitur infelix homo, ubi fastidia menses  
 Longa tulere decem matri, vagitus & ingens  
 Primum exauditur, vitæ monimenta futuræ:  
 Nascitur infelix, nec humo se tollere quidquam,  
 Aut pede, vel dextra potis est, nec repere quoquam,

Cetera

Cetera uti fuerunt animantia: sedula nutrix  
 Ulnis ni excipiat (miserum, indignumque) peribit.  
 Frigoris ille quidem haud patiens, in luminis oras  
 Profertur nudus, nec sunt alimenta quibus se  
 Recreet, & monitus naturæ deesse videntur.  
 Illa quidem reliqua hortatur mox nata subire  
 Pellibus intecta, alterius non indiga curæ,  
 Ubera lacte suæ matris distenta per herbam:  
 Pars villos, setasve gerit, pars vellere tecta est,  
 Horrida pars spinis munita incedit acutis,  
 Et venientem audet petere, & propellere tectis:  
 Vulnificas aliis unguis dedit arma, quibus se  
 Defendant: aliis in levi cornua fronte  
 Addidit, ultricesque sedent in cordibus iræ.  
 Quin virgulta etiam, & trunco circundat amaro  
 Cortice, & à tristi defendit frigore brumæ.  
 Quære genus vitæ illorum: non vinea falce  
 Tondenda est, valido nec humus versanda bidentè,  
 Non curæ est curvo proscindere vomere terram,  
 Et lappas sterilesque agris evellere avenas:  
 Non adeo, dum altum cinixerunt æthera nubes,  
 Illa timent segeti, & crepitanti grandine pallent.  
 Proxima diis illis vita est: sunt gramina passim  
 Mollia, sunt flores bene olentes, & bona poma,  
 Mala, nucesque, genus varium: quæ dædala tellus  
 Ut ferat, ut servet, multæ est obnoxia curæ.  
 Vita hominum dura est, & plena laboribus omnis,  
 Quam mille invadant morbi, & tenuissima quæque  
 Funditus evertant: qualis secretus agellis  
 Nascitur in cultis hyacinthus, quem malus imber  
 Nube nigra effusus male perdidit, & decus illud  
 Abstulit, & foliis omnem decussit honorem.

Corporis

Corporis heu pestes quot sunt? non major arenæ  
 Est Libycæ numerus: morborum copia mentis  
 Est quoque permagna, & quos non animantia nōrint  
 Cetera: sunt illis optandi denique fines,  
 Sunt & habendi: non auri malesuada cupidio  
 Abruptum cogit concendere navibus æquor,  
 Non se, animam, corpusque una, pellacibus undis  
 Credere, ventisque, & stridorem audire procellæ.  
 Sat virides ollis saltus, intonsaque lustra:  
 Sat liquidi fontes, nigra quos protegit umbra  
 Fraxinus, aut abies, vel acutis frondibus ilex,  
 Qua super aëriæ fidentes dulce columbæ  
 Ardenti sub sole docent gemere undique silvas,  
 Utpote sollicitum quæ detestentur amorem.  
 Qui furor, etsi aliis animantibus abditus hæret  
 Visceribus, generi ille hominum in præcordia repfit  
 Intima, cædisque & multorum est causa malorum.  
 Uritur infelix juvenis misere, offaque & artus  
 Incendunt tedæ ardentes, orbemque peragrat,  
 Vestigatque altas formosæ virginis ædes.  
 Illa domi ingenuo adsuescit parere pudori,  
 Quam casta instituit mater, nec tollere vultus  
 Audet homo, juvenem si forte inspexerit usquam,  
 Conniventem oculis, & pectore suspirantem.  
 At miser abrupto jactatus vortice amoris,  
 Qualis ab Ætnæ spirans fornacibus ignis,  
 Huc illuc rapide fertur: non frigora noctis,  
 Non imbres, solis non spicula fervida tatdant.  
 Sponte suis stratis abiit, limenque puellæ  
 Observat pernox: non illum dicta parentis  
 Abstrahere inde queunt, non multa concitus ira  
 Jani frater, charæ pupugit quem fama sororis.

Ergo

Ergo armis putat obstandum, nec iam esse ferendum  
 Audacem juvenem: quare prorumpit, & ense  
 Rem gerit, & patrios incestat cæde penates.  
 Quòd si non aliis miserum, infelixque videtur  
 Humanum genus, uno hoc accipe: cætera finem  
 Non rerum meditantur, non tristi anxia cura  
 Norunt, ut vitâ sit denique discedendum:  
 Non lacrymas fundunt falsas formidine pœnæ,  
 Morte obitâ Divûm tandem ad subsellia Regis  
 Cum causa in magna nobis dicenda corona est.  
 Quare homines vitâ illustres, & fortiter ausos  
 Certare & fere, atque alios superare ferendo  
 Læta manent loca, quæ ipsa non deprendere mente  
 Viventes clausi tenebris, & carcere quimus.  
 Hoc natura viros studio venerata, labores  
 Addidit egregios, pulchrè quibus exantlatis  
 Æternum sedeant alta ad delubra Deorum.  
 Quod supereft, aliis rationibus exequar: at tu  
 Volve animo, ad verum tandemque accedere disce.  
 Heroes, quorum pietas insignis, & omni  
 Laude fuit major, Divûmque simillima vita  
 ( Non ignota cano ) quæ mox ventura minorum  
 Temporibus fuerant, cecinere prioribus annis.  
 Vis ea mortalis non est, quæ nosse futura  
 Sic potuit: neque enim tabulam vel dius Apelles  
 Rerum gestarum media suspendit in urbe  
 Fulgentem minio, lateque Corinthio auro,  
 Rem quæ ita monstrarit: stant nunc quoque, perlege tu  
 Sacro veridici fuderunt pectorè vates. [ quæ  
 Hoc felix quondam, & Divûm gratissima Regi  
 Sancta Palestinæ tellus fata ipsa canentes  
 Vedit, & ex illo scripta hæc sunt tempore nobis.

Excidium

Excidium patriæ multi, fata aspera flebant,  
 Et superūm eversum vi lamentabile regnum :  
 Quos inter plectro Rex nil mortale sonanti  
 Personuit dulce, altumque, & nova carmina dixit.  
 Namque canebat, uti lapsis certo ordine seclis  
 Regnator superūm fortem miseratus acerbam  
 Humani generis, quod cœlo excluserat alto  
 Unius ob noxam, mitesceret, & meliori  
 Mente preces hominum audiret : quare adfore tempus,  
 Ut suus ipse, suus natus, quemque unicè amaret,  
 Mortalem indueret formam, moribundaque membra ;  
 Cujus in adventu pallentes undique morbi  
 Diffugerent, bellique metus.  
 Hunc ubi jam edisset mater virgo omnibus expers,  
 Venturos Reges quà sol caput exerit undis,  
 Myrrhamque, aurumque, & Panchaïa thura ferentes.  
 His addebat, uti fugiens fævi arma tyranni  
 Cum puero ut primūm genitrix viridantia Nili  
 Tangeret arva, Deos fore nusquam, oracula passim  
 Casura, arasque, & laqueata aurataque templæ.  
 Nec minus, ut puer ad patrias contenderet arces,  
 Docturus latè populum, sanctumque Senatum,  
 Proderet utque unus quicquid cecinere priores.  
 His cithara aurata dum personat, adjungebat  
 Quærentem matrem puerum : jam nulla neque urbis,  
 Nec loca agri restant, quæ non virgo optima lustret.  
 Ah dulcis virgo, jam ter sol extulit alto  
 Oceano caput, & ter littore mersit Ibero,  
 Nec potûs fessam, Cereris nec cura tenet te :  
 Quid tantum telluris obis ? quid pectore ab imo,  
 Quid tot pallenti fundis suspiria vultu ?  
 Ille ædem ad patriam in conventu arcana recludit

Rerum

Rerum æternarum : divino cujus ab ore  
 Pendentes populi dicta aurea depascuntur.  
 Quid loquar ? ut caneret rerum miracula, vitâ  
 Corpora defuncta, & redditura in luminis oras ;  
 Inventus jam qui pedibus superare marinos  
 Et possit fluctus, summas nec tingere plantas :  
 Effer aquam virgo, fluviis cava dolia comple,  
 Excipe fœtilibus, jam sunt mollissima vina,  
 Ipsa tuis felix hilara convivia donis,  
 Lætitiaque auge, magnis & honoribus urbem.  
 Quid referam ? ut fleret vatum de more suorum  
 Cœlicolûm extinctum crudeli funere Regem,  
 Et matrem infelicem in summo vertice montis  
 Ah miserè nati delentem veste cruores :  
 Aut ut narrarit triplici circundata muro  
 Moenia, pro vita, pro libertate suorum  
 Ardua terribilis testa expugnanda tyranni,  
 Victoremque Erebum vastantem, & nigra prementem  
 Tartara, & exuvias referentem Acherontis avari :  
 Vix altè in cœli foribus suspenderat arma  
 Ignibus è mediis rapta, & crudelibus oris,  
 Et pater occurrit, fulvaque ab nube columba  
 Unigenam lætè plaudentibus excipit alis.  
 Omnia quæ quondam Rex magnus & optimus ille  
 Dum caneret, jussit charos ediscere cives,  
 Atque hæc ipsa suis monumenta nepotibus esse  
 Carmina, dum palmis dives florebit Idume.

## L I B. III.

**N**UNC animis quæ sit sedes, quæ præmia vitæ  
Quemque bonum tandem maneant, quas pendere  
pœnas

Conveniat fontes, properante quis undique Rege  
Tolletur clamor, quæ signa futura, tubæque,  
Expediam dictis : tu nunc adsiste canenti,  
Qui coenatus apud Regem stellantis Olympi  
Ipsius in gremio requiesti, & tempore Divum  
Ex illo interpres fatorum arcana eanebas :  
Dumque tibi & matri solido de marmore templum  
Instituunt Verulis Volsci, Marsique, Latinique :  
Annua dumque ferunt sacra, & solennia vota,  
Huc ades, & me quadrijugo simul excipe curru,  
Perque Erebi vastas sedes, perque aurea cœli  
Me delubra pater ducta, remque ordine pande  
Venturam, & qui sit fatorum immobilis ordo.  
Postquam confectum mortalibus est breve vitæ  
Curriculum, tenebris ubi Mors adoperta calorem  
Vitaï extinxit, nec quicquam auditque videtque  
Pallidulum, mutum, prorsusque exangue cadaver,  
Nosse potes peragrare animam loca cognita nondum.  
Nam pater omnipotens, æqui cui maxima cura,  
Prospectans hominum mentes, scelere undique turpi  
Tabenteis, longè à patrio secedere cœlo,  
Nec reclamantes animos rationibus unquam  
Deduxisse illos vitiorum è vortice turpi,  
Supplicium horrendum statuit : quas pendere pœnas  
Ah miseros cogit, cruciatibus ah quibus omni  
Affectionis jubet esse ævo tellure sub ima !

Illiç

Illic vipereis turba est accincta flagellis :  
 Nox ibi perpetua, & semper caligine nigra  
 Est domus attonita, & graveolenti sulfure fumum  
 Ignivomi eructant montes, atramque favillam :  
 Unde fluunt undis septem ferventibus amnes,  
 Qui simul immensum circumfluxere barathrum,  
 In glaciem montes, ipsi hi vertuntur in ignem.  
 Huc fontes animæ scelerum gravitate feruntur  
 Sponte suâ : neque enim superas se tollere ad auras  
 Concretæ vitiis possunt, cœlumque tueri.  
 Quales nocturnæ volucres, ubi Lucifer alto  
 Exerit Oceano caput, & radiantia Solis  
 Spicula discutiunt tenebras, lucemque reducunt,  
 In tenebras sese abjiciunt, ultroque feruntur  
 Quà deserta magis, quà sint tenebrosa sepulcra.  
 Huc ubi deventum est, informes undique larvæ  
 Conveniunt, & supplicia ad crudelia cogunt.  
 Pars circum insultans horrendis vocibus instat,  
 Pars urgens facibus medios deturbat in ignes,  
 Flamarumque globos, ubi seclis mille peractis  
 In glaciem projecti altam, nivibusque sepulti,  
 Plangore & gemitu nequicquam tartara complent ;  
 Namque ubi quingentis riguerunt frigore seclis,  
 Inferni aucti amnes latè ferventibus undis  
 Infano magnos contorquent vortice montes :  
 Fluctibus his mersi torrentibus, ut mala passi hæc  
 Seclis sexcentis, repetunt ex ordine prima  
 Supplicia, & nusquam miseris datur hora quietis.  
 Nec sum animi dubius, multos ut inania nostra  
 Carmina risuros : quoniam quæ corpora non sunt,  
 Non flamas, frigusque pati, non verbera, rentur.  
 Est hominum hæc audacia, quos præscribere cœli

Non pudeat Regi : quid enim ? quod jusserit ille,  
 Non fiet ? fac velle, idem qui carcere clusit  
 Mortali immortalem animam, quæ corporis expers  
 Certè erat, efficiet, ne qui ditissimus æris,  
 Dives agri, regi assimilis luxuque epulisque,  
 Omnis cui longum blandita obsecna voluptas,  
 Impia quique arma & crudelia bella secuti,  
 Et vitæ leges radicitus everterunt,  
 Præmia sint eadem accepturi, atque optimus ille,  
 Quisquis is est, spreto qui regno atque ædibus altis  
 Pauperiem & duros potuit perferrre labores.  
 Sanctum hominum genus hoc, veræ qui ad commoda vitæ  
 Confluxere, illis non cura ut regia vestis  
 Velaret leves humeros, nec iaspide longi  
 Ut pellucidula pulchre digitæ ornarentur :  
 Non dapibus mensas onerare, ostroque superbo  
 Discubuisse super, non tempora fundere vino,  
 Non fora composito circum volitare capillo.  
 Dii quanti, qualesque viri, quam fortiter ausi,  
 In flamas illi abjecti, & crudelia passi  
 Supplicia, injusti durique ante ora tyranni  
 Haud vinci potuere, aut in contraria ferri.  
 O fortunati, quorum mens conscia recti :  
 Salvete æternum heroes, quos aurea Divum  
 Regna manent, nunquam casura fluentibus annis :  
 Nusquam illic curæ, nusquam dolor : omnia læta,  
 Omnia tuta, animas tenet omneis una voluptas.  
 At contra tenebris clausos, & carcere cœco  
 Luctusque & curæ tristes, & sedulus angor  
 Opprimit æternum, & qui unus dolor altus habetur.  
 Jam norunt, folio ut poterant considere Divum,  
 Ut poterant hominum & cœlestum adsistere Regi,

Æternumque frui luce omnipotentis Olympi.  
 Nec verò si forte aliquis benè vixerit, usquam  
 Deque via recti paulum declinet, in oras  
 Luminis æternas subito properare fatendum est:  
 Ipsi etiam labe affecti, vitiisque levati,  
 Quem longum obfessi fuerant, recta ire putandi  
 Non sunt ad superos: veluti cui plurimus insit  
 Visceribus dolor, & pigris vis tabida membris,  
 Non prius ad rectos potis est accedere sensus,  
 Ut jamjam amissæ redeant in pristina vires,  
 Ingenuè quisquam nisi doctus Apollinis artem  
 Adsit, jam suetus curare salubribus herbis  
 Membra diu vitiosa, modis pallentia miris.  
 Multos ille quidem succos, multosque liquores  
 Miscere instructus, dictamnum, absinthia tetra,  
 Doctorumque hominum præclara inventa ministrat.  
 Sic pater omnipotens, æquè cui maxima cura,  
 Qui benè de patria meriti, & virtutis amore  
 Multa diu passi, si qua admisere pudenter,  
 Et quos pertæsum est scelerum, pacemque per aras  
 Æternum petiere suas, non destinat Orco:  
 Unde haud egressus patet ullus, & ostia claudunt.  
 Sexcentum pondus, & multa rubigine vectes.  
 Sunt Erebi geminæ portæ, quarum altera solis  
 Spectat ad occidui terras: hac undique tristes  
 Succedunt animæ, vitæ fugiente calore:  
 Hanc valvæ nullæ claudunt, sed limina pernox.  
 Ipsa Dolor servat, spinas ægrè inter acutas  
 Ille jacens squallet macie, & vix offibus hæret,  
 Atrox, terribilis, dextram & lævam implicat angue,  
 Latè oculis ignem spirans, mirabile dictu,  
 Lethiferum spumis mixtum vomit ore venenum.

Vestibulo is positus custos, sacra ostia servat,  
 Nec revocare gradum quenquam finit. Altera longè  
 Porta est, purpureus qua Lucifer exerit ante  
 Phœbæos radios jubar, & noctis fugat umbras.  
 Hac iter ad superos, si quando hæc ipsa pateret :  
 Hac iter Elysium, qua Rex stellantis Olympi  
 Traduxit notos divino carmine vates :  
 Pòst illa clausa, & Regis signata sigillo est.  
 Sed quia nec digni cœlo, nec carcere claudi  
 Inferno, statuit Rex æquus & optimus ille  
 Delere assumptam labem, decus atque vigorem,  
 Auramque ætheriam donis felicibus auëtam  
 Reddere diis similem, & dignam penetralibus altis.  
 Ergo quale aurum accensis fornacibus igne  
 Excoctum multo, tabem felicius omnem  
 Exuit acceptam, & formam magis induit auri :  
 Sic animæ, quas ille diu tenet acrior ardor,  
 Æternum abjiciunt concretam corpore labem :  
 Nam gyro aërio, quâ corruit aureus ignis,  
 Vicinasque urit nubes fervore corusco  
 Extremas inter diffusilis aëris oras,  
 Panditur hisce animis sedes venientibus ultrò :  
 Quaque magis gravitatè carent, sese altius auris  
 Ætheriis tollunt, donec jam funditus omnis  
 Torrenti flammâ vitiorum exaruit humor,  
 Atque exesa omnis circùm rubigo fatiscit.  
 Ast alii sedem latè longeque reposant  
 Extra anni solisque vias dixere, laborum  
 Immunem, hospitiumque velut benè dulcis amici :  
 Quandoquidem Regis non est florentis honore,  
 Florentis pietate, suos quos legerit ante  
 Stellarum cursum, & teneri cunabula mundi :

Exercere odiis tandem statione peractâ :  
 Quos propter natum, sua lumina, quem sibi fecit  
 Hæredem rerum, cœlo demisit ab alto :  
 Qui formam indutus nostram, moribundaque membra  
 Oppressos morbi miserè gravitate levaret,  
 Insignemque notam longùm impietatis inustam  
 Deleret moriens, veluti placidissimus agnus  
 Pro populo tristes animam positurus ad aras.  
 Non ita quæ spectant orientem littora solem  
 Occiduis absunt terris, quas serus Olympo  
 Procedens tremulo perfundit lumine Vesper,  
 Ut vitium à nobis, quibus est hâc morte piatum :  
 Hinc vera pietate Cilix clarissimus, omni  
 Ætate absuntâ in studiis feliciter istis,  
 Quæ fuerint nostri repetens commissa parentis,  
 Quidque boni attulerit rerum moderator Iesu,  
 Sustulit & vocem, & duplices ad sidera palmas :  
 Munera magna pater tua sunt, jam vicimus: ergo  
 Hostis habes: etiam captus non abjicit hastas  
 Perfidus: hostis habes, injecta novissima plaga est:  
 Si mortalis homo tantum nostram imminuit rem,  
 Fare age, quo cumulo nunc auxerit immortalis?  
 Hæc calamo, hæc eadem divinitùs ore serebat  
 Nonnullis bonus ille locis, queis credere par est,  
 Perbelli iis animos agere in regionibus ævum  
 Securos, mundi vel si trans mœnia, vel si  
 Ignibus in mediis degant candente favillâ,  
 Dum bona venturi succedant tempora secli.  
 Sic res ipsa quidem est, sed quam non cernere quimus  
 Ipsi oculis, rerum haud gnari, incertique futuri.  
 Sed neque ob id falsa est: quando quæ dicere possim,  
 Sunt sexcenta quidem: quæ qui non viderit, esse

Falsa putet : visa hæc, dubio procul autumet esse.  
 Quid si ego dixisse, ferres ? nisi cognita multis  
 Praeclarè scriptis hominum res tanta fuisset,  
 Iaser piciferis fontem manare Cyrenis,  
 Qui noctu latè torrentibus æstuet undis,  
 Noctu dum tenebris humentibus omnia frigent,  
 Et Phœbe auratis incedit roscida bigis :  
 Cùm verò lustrat radiis sol igneus orbem,  
 Ardentique omnem calfecit lampade terram,  
 Per Libyæ perquam gelidus labatur arenas.  
 Huc illud quoque nunc spectat, quem nomine Graii  
 Dixerunt magna, lapis miro attrahit usu  
 Quodcunque objicitur ferrum : tactumque quod illo est,  
 Dicit & hoc itidem veluti Magnesia cautes.  
 Huc agesis, simul accedant adamantina saxa  
 Non jam concordi studio compacta tenentur,  
 Inque odium mutatus amor, conflataque longè  
 Invidia ut solvant cogit vincla illa repente.  
 Crederet an quisquam ? nisi res quæ cognita jam tum  
 Ipsa fidem faceret : nam queis rationibus isthuc  
 Confieri possit, nihil est quod nosse queat quis,  
 Docta licet summi fuderunt carmina vates.  
 Fabula námque nova est, per crebra foramina ferri  
 Magneta insinuari, est, quod levis abditus aër,  
 Et cava convenient plenis conamine magno :  
 Non adamas etenim magnetem excluderet omnem  
 Aëraque, quæ multò cava sunt magis, arida secum  
 Attraherent, stipulamque, & ligna absunta senecta.  
 Neve ego te exemplis externis demorer, addam  
 Nota domi assiduè, quæ quondam incognita, quid ni ?  
 Fallaci hâc æquè fieri ratione negasses :  
 Saxa ubi gypsati effoderunt grandia servi

Aëriam

Aëriam acclivis posituri in collibus arcem,  
 Arte laboratis super antra exesa caminis  
 Congeriem statuunt in formam fornicis alti :  
 Nec minus agricolæ duri rescindere ferro  
 Anno fam quercum certant, atque arte magistra  
 Aridulis nigram lignis explere cavernam :  
 Inde ubi forma pyræ structa est, ex ignibus ignem  
 Ingentem parvis augent, sonat ardua faxis  
 Congeries, cœcis fornacibus ignis anhelat.  
 Illi instaurantes ornosque & fissile robur  
 Subjiciunt, fruticesque leveis, stipulamque sonantem,  
 In bibulum cinerem quo faxa immania vertant.  
 Optimus hic operi cinis est : qui frigidus esse  
 Principio visus : quem tu si adsperseris unda,  
 Igne gravi exuri circum vicina videbis,  
 Et magnam attolli torpenti è pulvere flammam.  
 Quod si pingue oleum fundas, alimenta videmus  
 Quod tamen esse ignis, subito vis deperit omnis,  
 Flammaque continuo viatrix perfusa repressa est.  
 Huc agesis animum referas : qui debuit unda  
 Auxilio esse igni ? duo quæ pugnare necesse est,  
 Et flamas extingui aspergine pinguis olivi ?  
 Quod si jam nosti rationem reddere dictis,  
 Ipse quidem nihil obsto : etenim facile esse videtur,  
 Quæ quivis spectet, rerum jam effingere causas.  
 Omnibus hoc adeo est vitium mortalibus ægris,  
 Notarum ut rerum causas scrutentur, & omnes  
 Vulgata illustrent dictis : quis semina flammæ  
 Nesciat in silicis concreta atque abdita venis ?  
 Quis non in baccis proceram stipite laurum  
 Novit inesse ? fuit tamen hoc mirabile quondam.  
 Multa quidem nunc esse liquet præclara reperta,

Quæ

Quæ fieri nunquam dixerit prioribus annis.  
 Nam quæ res illa est? & non imitabile fulmen:  
 Res aliter cecidit, positis incudibus urbes  
 Jam magnæ ferrum exercent: fit fistula, qualem  
 Non oculis, non ipsi animo videre priores,  
 Fistula missura haud nequicquam ferrea bombos,  
 Aut conflata ære ex cocto, liquidisque metallis,  
 Præruptas arces cava dejectura columna:  
 Inventum præclarum, ingens, quod nos quoque cœlo  
 Exæquat, Jove nec solo jam maxima cœli  
 Porta tonat, tantum non jam se jactet alumno  
 Ida suo, & Cyclopum opera Vulcania tellus.  
 Namque ubi perfecta est moles, treis sulfuris addunt,  
 Treis falsi partes nitri, treis pulveris atri  
 Exusta ex corylo, aut lignis quorum indiget usus:  
 Parte alia informant immani pondere glandem  
 Stridentem duro ex chalybe, plumbove recocto:  
 Mox igne admoto, misceri murmure cœlum  
 Incipit, & tonitru horrendo, concussa videntur  
 Æquoraque & terra, & domus omnipotentis Olympi.  
 At perterrifico sonitu picea undique nubes  
 Attollit se eructans flamمام, atramque favillam.  
 At simul irrupit vis ejus, & impetus acer,  
 Procumbunt turres, æquataque machina cœlo  
 Corruit, atque altum dant saxa avulsa fragorem.  
 Quin & dum adversis acies concurrere signis  
 Constituunt, fortisque viri prorumpere cornu,  
 Vidi ego sublato flammis ex aggere nimbo  
 Sulfureo heroas correptos fulmine centum,  
 Candenti centum transfixaque pectora plumbo:  
 Dumque iterum atque iterum molis fragor intonat ingens,  
 Umbones, ocreas, galeas, ensesque, verutaque

Uno

Uno ictu cadere, & coacervari aggere magno,  
 Et latos multo respergi sanguine campos,  
 Altaque majori dilabi flumine cursu.  
 Fare age, vel falsum est? & non imitabile fulmen?  
 Ergo multa modis miris fateare necesse est,  
 Esse quidem non nota homini: penetralia regis  
 Quis superum invisit, nisi quos Deus æquus amarit?  
 Quisve Erebi vastas sedes, nigrasque lacunas  
 Accessit, victorque pedem cum laude reflexit?  
 O felicem illum virtute, & munere Divum.  
 Crede olli: nam vera canit.  
 Treis igitur sedes statuit pater optimus ipse,  
 Quando non eadem nobis est palma parata.  
 Scilicet hoc sanctum est, ne quid sperare precando  
 Defuncti vitâ possint: sua præmia quemque  
 Certa manent, firmo certæque ex ordine pœnæ.  
 Hoc est justitiam colere, & præstare Deum se.  
 Non etenim leges, hominum quarum indiget usus,  
 Justitiam expendunt: est qui vetitos Hymenæos  
 Contemtor Divum invasit, ferroque parentem  
 Perdidit, & bello civeis, fratresque veneno,  
 Ut parta insidiis liber regnaret in urbe,  
 Omnia fanda, nefanda ausus: quem ferre minores  
 Cum jam non possent, victum popularibus armis  
 Dicere jusserunt causam acclamante corona:  
 Quare hominem usq; invisum, inter patria arma trementem  
 Pallentemque modis miris formidine pœnæ  
 Ad fora sublimem rapiunt, ibi poplite utroque  
 Submisso, caput ense humeris avellitur altum.  
 Non dedit ille quidem pœnas, quas debuit, annos  
 Utpote qui multos alacris mala gaudia mentis  
 Posthabita est adeò insanus virtute secutus,

Molitus

Molitus cædemque virûm, exitiumque bonorum.  
 Ergo alias pœnæ dandæ, nec morte dolores  
 Finiri sperandum : etenim sunt ultima nunquam  
 Secla illic, æternum ubi vita labore referta est.  
 Tune diu Baccho indulgens, Venerique nefandæ,  
 Pauperis agricolæ pinguem populatus agellum,  
 Ora manusque tui respersus sanguine fratri,  
 Non hic morte obita ? ast illic dabis improbe pœnas.  
 Scilicet incolumis sextum jam consul in urbe  
 Atque iterum fias, & tot demiseris ense  
 Egregios diro cives pallentibus umbris,  
 Sanguine sudarit, belloque exarserit orbis,  
 Lumina tu patria claudas securus in aula ?  
 Et jam sub terris placide, æternumque quiescas ?  
 Non ita, mi pœnas scelerata in morte rependas.  
 Non ibi judicium corrumpes, nec reus auro  
 Te redimes grandi, nec cincta altaria circum  
 Effigies sanctorum hominum funeralibus altis  
 Te te igni eripient, aris impostaque thura :  
 Non in judicium versis crudeliter armis  
 Restitues dominum te te: sed tristia tandem  
 Funera post, porro faciet manifesta fidem res:  
 Et quæ sint pœnæ, mihi post narraveris ipse.  
 Disce Deos colere, & dignam Diis degere vitam.  
 Quin te animo constans instringis fortiter ? & te  
 Adfirmas ? dictis sapientum adsuefce moneri.  
 Nec vero inventis Graium nos crèdere par est  
 Omnibus: est etenim nimirum Græcia mendax.  
 Nam quo illud spectat ? post tristia funera rursus  
 Immemores cupiunt in corpora velle reverti :  
 Fabellæ Græcorum hominum: quid corpora linquunt  
 Prima animæ ? quid solvi opus est, in corpora rursum

Clau-

Claudendas, vita quas cogas rursus abire?  
 Nascendum toties, si sit toties obeundum,  
 Nulla manet requies hominem, sedesque beatæ  
 Nusquam igitur: quid tu mihi de flavo Rhadamanfo,  
 Quid mihi de Elysis tot garris Græcule campis?  
 Quid mihi felices fingis, dicisque beatos  
 Æternum, in mala quos opus est, luctusque redire?  
 Adde illud delirum itidem, quo expendere pœnas  
 Commonstrent animas scelerum, petere horrida fontes  
 Corpora seclorum, & pecora inter degere vitam.  
 Et, quod ridiculum est, aiunt, ut turpis adulter,  
 Flagitium ne impune ferat, muliercula fiet,  
 Ipsa viris quæ se prosternat corpore toto.  
 Poenarum egregiæ laudes, præclara reperta,  
 Flagitium scelere ut cumulent, & criminè crimen.  
 Ad nos ergo animum refer, & verissima dicta  
 Accipe sis, mentemque adhibe, quam impellere verbis  
 Veridicis possim, & versu perfundere dulci.  
 Postquam sat terris actum, molemque operosam &  
 Longævam mundi mutari ex sedibus imis  
 Cœlicolûm visum regi, nec jam amplius ulla est  
 Progenies hominum cœli ventura sub axem,  
 Judicium sistet rex omnipotentis Olympi,  
 Judicium firmum, sanctum, ingens, quo genus omne  
 Omne hominum in conventu aderit, qui in luminis oras  
 Advenere unquam, citius, seu serius illos  
 Secla tulere, dies pariter quos abstulit atra.  
 Non tamen id clam aut obscurè contingere par est  
 Jus summum, jus acre: manent certissima signa  
 Temporibus certis, atque altè terminus hæret.  
 Primum etenim miserè ardebit terra undique bello,

Et

Et populi regesque frement: sub fœdere pacis  
 Evertent socii sociorum funditus urbes.  
 Vexabunt alii patriam civilibus armis,  
 Et desiderio diraque cupidine cædis  
 Vulgo alacres tereti plangent cava tympana virga,  
 Efflabuntque tubas, & raucis cornua bombis,  
 Vastabunt agros pallentes cæde coloni,  
 Incendent pagos alii, & splendentia aratra  
 Ipse ipse horrendos pastor conflabit in enses,  
 Ad bellumque ultro dirum armentarius ibit:  
 Rura colet nemo, nusquam tellure subacta  
 Vomere ducentur posito ad præsepio tauri.  
 Frugiferi nusquam campi, rubus asper ubique,  
 Et densi surgent frutices, lappæque tenaces.  
 Rastrorumque expers, & aduncæ vinea falcis  
 Incultis dulces committet sentibus uvas,  
 Et longo crescent proceræ palmitæ vites,  
 Et spissis nimium aeriæ ramalibus ulmi.  
 Hinc ubi bella colent arva, & pax candida cessit,  
 Undique provenient frumenta angustius agris.  
 Quod si cura hominum accedat, rursusque per artem  
 Quisquam agros moveat, nullam pater ipse colendi  
 Tum volet esse viam, frustra insecatabere rastro  
 Assiduus terram, frustra adniteris aratro,  
 Nullæ tum segetes, nulla frumenta sequentur.  
 Nam talpæ solis visuri lumina nunquam,  
 Curculioque vorax, & longo ventre locusta,  
 Subripient quæ quis mandarit semina terræ.  
 Adde etiam ingenteis pluvias, & tempore iniquo  
 Triticeam in segetem late Boreanæ insultantem.  
 Adde gravein dura concussum grandine aristam,

Cum

Cum jam flava Ceres lætis rideret in arvis.  
 Mox foeda ex Orci tenebris adrepet egestas,  
 Mox & dura fames ruet, & radicibus herbas  
 Avulsas, glandemque feret mortalibus ægris.  
 O miseris, quos dira lues, quos triste manebit  
 Exitium: tune ô cœli rex maxime, & idem  
 Optime, quid? tune ah tantas spectabis ab alto  
 Ærumnas hominum, nec te miserebit, Olympo?  
 Ira quoisque tua ô bone rex?  
 Scilicet id firmum est, atque alta mente reposum,  
 Et fatale quidem, nec tum tractabile numen:  
 Esto, haud fas servos regi præscribere, regi  
 Parensum: fuerint quæcunque ea fata, feremus.  
 Ergo pestilitas acris miserandaque cœli  
 Incumbet populis vitio, sine civibus urbes  
 Funestæ invisi poterunt, sine rura colonis.  
 Excedent dulci vita, nec ducere puram  
 E cœlo quibunt animam, spirabile quando  
 Corruptum late strages dabit, & grave olentis  
 Vulgo fœtorem lacus exhalabit Averni.  
 Tum juvenes olim florentes, cum breve vitæ  
 Ver agerent, dura jam fessi ætate parentes  
 Insatiabiliter flebunt, moestæque sorores,  
 Dum flavo longos solvent à vertice crines,  
 Pallidulæ efflabunt super ipsa cadavera vitam.  
 Nec minus interea falso præcepta salutis  
 Inscrivent alii, contraque edicta piorum  
 Bacchantes edent insana volumina vatum.  
 Tun perterrificos sonitus per viscera terræ  
 Iri exauditum certum est, & motibus orbis  
 Insolitis, circum & cœli domus alta tremiscet:

Procum-

Procumbent succussæ urbes, turritaque tellus  
 Excutiet magno senior jam pondere nutans,  
 Quod diu onus tulerat, longo post tempore collo.  
 At dum terribiles minitatur terra ruinas,  
 Et motu ingenti magnas tremefecerit urbes,  
 Non face sol rosea ex alto se ostentet Olympo,  
 Sed caput obscurum densa inter nubila condet  
 Tristis, egens lucis, concedens is quoque fatis.  
 Lunaï globus ipse etiam tabescet, & astra  
 Per noctem: ex undis & cum jam surgere Eoïs  
 Deberet Phœbus, nonnulla cadentia cernent  
 Attoniti passim juvenes, trepidæque puellæ,  
 Et tunç palmis longævæ pectora matres,  
 Perculsique senes late formidine Divum:  
 Interea nigrantem insana per æquora nimbum  
 Fulminibus gravidum ferri, & maria omnia arenam  
 Evomere, & magno compleri murmure pontum  
 Acclives portus jamque oppida consternantem,  
 Et falsos cœli tollentem ad nubila fluctus,  
 Horrentes populi rerum novitate videbunt.  
 Hinc veriti, pater Oceanus spumantibus undis  
 Ne ruat in terras, mediumque mare omnia fiant,  
 Ad juga confugient prærupta, & rupibus abdent  
 Sese convexis: ô æternumque beati,  
 Et vere, dicent, qui olim melioribus annis  
 Occubuisti; erant vobis, qui ponere terra  
 Vos possent patria, & tumulo concludere avito:  
 Quæ nos exercet, quæ nos Divum ira fatigat?  
 Antra graves hominum vos ô miserata labores,  
 Quæ nobis restant, ad quæ confugimus, antra  
 Corruite, integite, & finis vos funto malorum.

Has

Has dum sollicito fundent de pectore voces,  
 Et tristi miseras iterabunt ore querelas,  
 Audiet omnipotens, & majestate verendos  
 Diriget ad lacrymas oculos perculsus amore.  
 Mox igitur tonitru horribili fulgentia templa  
 Concutiet cœli: liquidum flamma æthera lustrans,  
 Quo sylvæ, montesque feri, & tremet undique tellus,  
 Et jactata frement ponti tumida aequora circum:  
 Ter folio aslurgens, tensâ ter pectora dextrâ  
 Contingens leviter, magni sacraria cœli  
 Jurabit Divum pater immutabile verbum.  
 Ergo purpureum quâ sol caput ostendebat  
 Mane novo lucem referens mortalibus almam,  
 Procedit, radiis ardentia signa coruscis,  
 Signa dierecti superum Crux aurea Regis:  
 Cui quondam (quid nunc totum vulgata per orbem  
 Carminibus repetam?) vitam sub imagine degens  
 Humanâ Rex est ultro suffixus Olympi:  
 Ut quas nos scelerum par esset pendere poenas,  
 Ipse daret: pietatis is est cœlestibus ardor.  
 Sustulit hæc ubi signa igitur dux maximus, arce  
 Et cœli creber tonitus, clangorque tubarum  
 Complebunt omneim raucis mugitibus orbem.  
 In summum deducta locum, flammeescere cœli  
 Incipiet moles longe cudentibus auris,  
 Ansantique graves fauces, & tristis Averni  
 Ignitam efflabunt animam: nec tempore quoquam  
 Antra Ætnæa nigræ magis evomuere favillam,  
 Flamarumque globos, vastis nec hiatibus æque  
 Expirare ignem tellus est visa cavernis.  
 Persæpe interea fumantes æthere ab alto  
 Prorumpent acri piceæ caligine nubes

S

Fulminibus

Fulminibus gravidæ, late exurentibus omnia.  
 Jam mare, non mare, at exustæ magis æquor arenæ.  
 Hæc urbes eadem & montes incendia magnos  
 In cinerem & cœli fulgentia mœnia vertent.  
 Hæc rerum summa, hic ipsum manet exitus orbem.  
 Nunc vigor omniparens cœli de vertice summo  
 Aggrædere ô, cautusque move, & sancte ignibus illis  
 Ignavum flagrans æternis excoque peccus,  
 Unde meam vox firma magis mentem ipsa sequatur  
 Arcanas rerum leges, & fata videntcm:  
 Quippe novum terris video lucescere solem  
 Largius, & liquido vestiri lumine mundum,  
 Ac rerum varias confestim sumere formas.  
 Gramen habent passim, & flores jam mollia prata,  
 Jam nemora alta nigras altis surgentibus umbras  
 Arboribus, foliisque sonant & fronde virenti  
 Prognatæ lenes zephyris florentibus auræ.  
 Jam rosa, jam violæ, jam purpurei narcissi  
 Perbellè rident gemmantes rore per herbas:  
 Non adeo mixtum magnis Aquilonibus imbrems,  
 Non Aufrum metuent nati sine semine flores.  
 Non glacialis hyems, non intolerabilis æstas  
 Aurea surgentis vertent bona tempora secli.  
 Ver erit æternum, atque eadem clementia cœli  
 Semper erit.  
 At rex omnipotens felicia tempora inertii  
 Non torpere diu finet, & succumbere somno,  
 Nec rursus morti esse locum: quare ipse ministros  
 Auro fulgentes, & versicoloribus alis  
 Ante alta astantes donaria voce vocabit:  
 Ite decus juvenes cœli, & clangoribus omnem  
 Æthera complete, & tenues sine corpore vitas

Antiquos artus & corpora delaſuras  
 Proclamate die hoc eodem me judice ſifti.  
 Aridulæ non tot ventis agitantur arenæ  
 Per Lybiæ campos, desertaque littora propter,  
 Parvula non variantis tot sub imagine formæ  
 Corpora commonſtrant radiati tela diei,  
 Quam multæ ſuberunt ultro citroque volantes  
 Innocuæ, fontesque animæ clangore tubarum  
 Excitæ, & rauco ſonitu: mirabile diſtu,  
 Ipsi olim deleta undis, abſumta ſenecta,  
 Temporeque extremo vitaī credita flammæ  
 Corpora, in effigiem veterem ſe & priftina fingent.  
 Unica in Affyriis qualis felicibus ales  
 Dicitur ex cinere, & redolenti pulvere myrrha,  
 Thureque Panchaio cunctantem ſponte renaſci  
 Aureolis oculis, & pictis undique pennis.  
 Nam fi non res in nihilum queat ullā reverti,  
 Quando materies æterno ſemine conſtat,  
 Et ſuperat quiddam ipſis indelebile rebus,  
 Par eſt diſſidio collapſa, & funere trifti  
 Posſe iterum in dulcem revocari corpora vitam.  
 Nonne vides eversam ævo, & ſuperante ſenecta  
 Ulmum arcte complexam olim, nunc pulveris atri  
 Materiem putrem, & glebam telluris inertem  
 Cum Zephyrus graditur pennis, & dulciter orbem  
 Recreat adventu expectato, & lenibus auris,  
 Aut acino, aut ipſa ſurgentem uligine rursus  
 Pampineam, & fragili viridianem ſtipite vitem?  
 Quod fi materia adduret, non eſſe videtur  
 Permagnum hoc: qualis Cyclops, aut arte magistra  
 Quicquam opifex aliis, ſtatuaſ hominum armipotentum,  
 Quas ruit ipſe, eodem curaverit ære refingi.

Grandia frustra legit, minimis nec parcit, & altæ  
 Porricit exemplò medios fornacis in ignes:  
 Hinc ubi pars omnis mistim est confusa metalli,  
 Æra fluunt liquida, & caulas stridentia complent  
 Compositas multa arte, viri præstante labore:  
 Quippe magis puro hæc spirabunt signa metallo,  
 Inque cavis latebris hæferunt mollius æra.  
 Antiquo pater omnipotens ex pulvere fingi  
 Corpora pulchre hominum fatorum ex lege jubebit:  
 Non ibi vel captos oculis, non corpore manco  
 Tardipedes videas, nec morbis ægra trahentes  
 Membra, vel invalidos artus instantे senecta.  
 Mundus aget ver ipsum. Ipsum florente juventa  
 Ver homines, erit & pubes, & idem omnibus ævum.  
 Ergo ubi clangore ingenti taratantara raucum  
 Insonuere tubæ, & magnis mugitibus æther,  
 Terribilique omnis sonitu reboavit Olympus,  
 Pandentur cœli portæ, & stipante catervâ  
 Innumerâ Rex egressus, legionibus ire  
 Ordine composito, & præferri signa jubebit.  
 Mox ubi quadrato fortis stetit agmine quisque,  
 Atque utrinque acies ardentibus adstitit alis,  
 Et passim hac illac sese explicuere cohortes,  
 Frontibus æquatis Rex ardua castra movebit:  
 Quem procul ut nubes, cœlique serena secantem  
 Suspiciunt gentes, palmas ad fidera tendent,  
 Ingentemque unâ clamorem ad fidera tollent,  
 Effusæque ruent: ast illum jam prope factum  
 Bisseni excipient proceres; quorum aurea canam  
 Cæsariem, & levem cingent diademata frontem:  
 Justis de causis, & jam olim Regis amici.  
 Quos penes aspiciens mixtos audere nocentes

Infontes

Insontes premere, & primos transmittere cursum,  
 Et temere effusos ruere, & jam tollere vultus,  
 Terribilis Rex, & furiis accensus amarè,  
 Jamque oculis flammam spirans, odiumque reposum,  
 Ecquis erit modus? ecquis jam vos, inquiet, iste  
 Audaces furor eludet? vos sistere contra?  
 Et scelerum tabe, & perfusi sanguine dextras?  
 Ite meæ quondam dulces curæque laboresque,  
 Ast odii nunc causa, & ineluctabilis iræ,  
 Ite domum in tristem, si quis pudor: ite ruentes  
 Inque picis nimbos, & flumina sulfuris atri  
 Æternum late vobis torrentia flammis,  
 Jam tandem vobis dignas me judice poenas.  
 At simul intonuit vox hæc, & conscia quemque  
 Vis animi, nec quicquam animo reticente momordit:  
 Quisque reus pallens ad lævam, & tristis abibit,  
 Præcipitemque dabit, seque in tartara condet,  
 Luctisono incassum conturbans omnia questu.  
 Qualis ubi imprudens miles sub nocte maligna  
 Carpit iter male tutum (instat timor, atq; animum aufert)  
 Excedens rectâ sylvis se immiscuit atris,  
 Dum via perplexum cura frustratur euntem,  
 Castra inimica videt latum se propter, & hostes  
 Ignem ad nocturnum passim per gramina fusos,  
 Suspenditque pedem, & retro vestigia flectit:  
 Mox ubi paulisper furtim concessit, anhelans  
 Effugit hostili ex conspectu, atque ocyor Euro.  
 Rex ubi jam fontes secrevit, & expulit ultro,  
 Ceu quondam pastor, cui grex non pascitur unus,  
 Ast iisdem in sylvis & oves, olidæque capellæ  
 Lanigeros hirtis agnos secernit ab hoëdis,  
 Lascivos placidis hoëdos discludit ab agnis,

Amplexus

Amplexus placide heroas complexibus arctis  
 Hæc, dextræ lacrymis dextras cum junget obortis,  
 Dulciter & vultu trepidantia corda serenans:  
 Vosne ulli maneant usquam me judice luctus,  
 Vos thura, atque animum nequicquam mi dederitis?  
 Has yobis sedes, vobis hæc munera servo  
 Jampridem, nusquam casura fluentibus annis  
 Aurea regna: decent vos hæc, humaniter & me  
 Vos exceperitis toties, atque ægra trahentem  
 (Nudus eram memini) membra, & texeritis amictu,  
 Et vestro toties illo recreastis amore.  
 An fugit & vos, quondam cum rerum omnium egenos  
 Egregiâ juvitis ope, & mœrore levastis?  
 Quippe & erant illi sanguis meus.  
 Ergo agite intertextam auro, viridique smaragdo  
 Singlatim chlamydem accipite, & mea sumite dona  
 Quæ pueri quondam dilecti, & saepe rogantes  
 Non tulerunt, ausi nimium se credere formæ.  
 Jam nostis, res vel cœlo jam notior ulla est?  
 Hac etenim induitos magna ad penetralia Divum  
 Indugredi, & nostris par est accumbere mensis.  
 Tum chlamydem cuique auratam, quam ferre maniplos  
 Jufferat, expediet, dona omnipotentis Olympi,  
 Arte laboratam egregie, manibusque deorum.  
 Vix illâ induiti liquidum super æquora raptim  
 Tollentur, Regique canent de more cohortes,  
 Et tuba terribilem, & repetent cava tympana bombum.  
 Jamque una emensi liquidas perniciter oras,  
 Aurea flammantis cœli delubra subibunt.  
 Ecce autem in foribus pater ipse occurret amicis  
 Canicie, trabeaque, & majestate verendus.  
 Agnoscent proceres longo jam tempore visam

Effigiem:

Effigiem : simile haud etenim est (ut dicitur) æque  
 Lac lacti, non unda undæ, non ignibus ignis,  
 Atque olli pater : & ni sint jam tempora cana,  
 Amborum quisquam haud queat internoscere vultus.  
 O quantam mihi tu, & qualem dulcissime gentem  
 Nate refers, quam hilare accipio, quam pectore toto.  
 Hæc ille, atque omneis intra aurea tecta vocabit  
 Actutum magni læta ad convivia Regis.  
 Ipse sibi ad dextram Natum, teque optima Virgo  
 Victricem, præclare acto Regina triumpho  
 Ad lævam pulchra in palla, gemmisque nitentem.  
 Componet, proceresque alios ex ordine lebros.  
 Hinc ubi divinis epulis, & nectare sancto,  
 Explerit, vinum ex adyto, cellisque repositis  
 Proferet annosum pater, & cratera coronans  
 Libabit prior, & Nato dum porriget, ore  
 Dum tenus attinget Natus (mirabile dictu)  
 Inter utrumque latens raptim per pocula serpens  
 Innocuus, multoque ignis candore coruscans  
 Miscebit se auro : veluti sub sole tepenti,  
 Mane jugis canis gelidus cum liquitur humor.  
 Mox cratera alte spumantem, atque undique plenum  
 Expediet Rex convivis : illi ordine longo  
 Accipient, reddentque vices, & dulce bibentum  
 Præpediet sensus laticis divina voluptas.  
 Ergo ubi sedatus tandem fitientibus ardor,  
 Una omnes ad patrem versi, immota tenebunt  
 Lumina, dum natum complexibus implicat arctis,  
 Dum treis ante torum cœlestibus excitat aras,  
 Flammantemque animam divinis naribus efflat.  
 Ille ut conjectos oculos mirabitur in se  
 Convivarum omnes, longo non tempore visos

Ornatus,

Ornatus, trabea indutus quos integit alta  
 Recludet, series quibus est longissima rerum  
 Picta peregregie, perscriptaque nomina Divum :  
 Et quas nunc animo comprehendimus haud bene, formæ  
 Effigiesque auro, & tenui sunt stamine ductæ,  
 Dives opus, textum non enarrabile, centum  
 Ora mihi ex solido si sint conflata metallo,  
 Verba fluant, quales insana per æquora fluctus.  
 Dusn vero interea superum domus alta filescit,  
 Vox ingens, qualis tonitus, prorumpere cœlo  
 Audita, & late sonitu increbrescere rauco :  
 Adspicite, obtutuque oculos defigite in unum,  
 Unus ego omnipotens, ego Rex hominumque deumque,  
 Æternumque bonum, simplexque & summa voluptas.



F I N I S.














B

se